DEIPARA VICTRIX,

CONTRITO SERPENTIS CAPITE


IN CONCEPTIONE SUA SANCTA.

CANTICUM SACRUM,

IN TRES LIBROS DIVISUM,

A DOCTORE SANCTES BURDEGATI PATAVINO

EDITUM.



BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

3

ROMÆ, ex Typographia Rochi Bernabò, MDCCXXXIII.

SVPERIORVM PERMISSV.

Digitized by Google

Sanctissimo Domino Nostro

CLEMENTI XII.

PONT. OPT. MAX.

SANCTES BURDEGATI PATAVINUS

FELICITATEM ÆTERNAM.

CUM *à puero Templum frequentarem, quod in mea Patria Virgini Deiparæ ſacrum eximia colunt pietate* PP. *Ordinis Carmeli, ac preces ſæpe ad aram effunde-*

Digitized by Google

rem, Divo Andreæ *dicatam* (*quo* Fa*milia tua*, Sanctissime Pater, *Catholico jamdiu Orbe latè ſplendet, clara Atavis, ac tua ſummi Pontificatus omnimoda religione, & piæ magnificentia largitatis longè clarior) magna, à Deo facta admirabili Matri ſuæ, qua datum, mentis acie ſedulus perpendebam. Vix, rudi licet ſtylo, pangere cœpi carmina, cum mox ipſi Angelorum Dominæ puerilis metri primitias addicere, ſtetit animus; atque ab adoleſcentia egreſſus, morem mihi conſtitui, horam aliis ſtudiis aliquando ſubtrahere, ut dedita opera, & Cœli favore opus abſolverem, licet per exilitatem ingenii perficerem nunquam; ſicuti argumenti decet magnitudinem. Contexta ex Scripturis, ac Patribus Virginis præconia, & in tres libellos diviſum opuſculum, in obſequii teſtimonium in ipſo PP. Carmeli Templo clementiſſimæ Dominæ obtuli; interea ſupplici prece expoſcere non deſinens, dum ipſa glorioſa Virgo menti innueret, laborem meum (ejus ope, qua auſpicatus fueram, ſanè*

com-

complendum) ſibi fore acceptum, cùm in puriſſimæ Genitricis laudibus Deus ipſe honoretur: Audii tandem, plena Urbis, ac totius Chriſtiani Orbis exultatione te, SANCTISSIME PATER, *jam Pontificem Maximum, meque perſenſi inſtinctu quodam compulſum, in id firmandum animum, ne ulli unquam, præter* SANCTITATEM TUAM, *rem Angelorum Reginæ præconiis ſacram, devoverem; quibus tuo ſummi Eccleſiæ Præſidis nomine adauctis, cum illam magis elucidares in terris, & uberiori meritorum incremento vitam in Cælis haberes æternam. Supra omnes Angelos Victricem, ac benedictam celebrandam Chriſti Matrem, cecini; de quorum triumpho cum ſit ſcriptum:* Et ipſi vicerunt eum propter ſanguinem Agni; *Apoc. 12.* qui occiſus ab origine Mundi, ante ſæ- *& 13.* cula operatus eſt ſalutem; *de Virgine* *Pſal. 73.* *Matre dicendum, quæ peperit Agnum, afferentem ſanguine victoriam; ſupra Angelorum triumphum Victricem fuiſſe; ac ſanè nunquam non benedictam; quòd æternùm dilecta Genitrix, ex cujus mor-*

tali

Digitized by Google

tali ſubſtantia humanitate ſumpta, tam accepta Deo Patri obedientiæ fieret im-
Luc. 1. *molatio. Propterea canit illa*: Exultavit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo; *quòd qui*: depoſuit potentes de ſede, & exaltavit humiles (*per peccatum humiliatos*)
Pſal. 48. *hominem, qui*: cum in honore eſſet, non intellexit, *reſpexerit humilitatem ancillæ ſuæ; abjectionem illam, quam fatetur, ſuæ originis ex Parentibus, ſub dura aliquando captivitate; hanc avertens ab ipſa, in victoriæ benedictionibus præventa: & ideo ex hoc futurum, ut beatam eam dicant omnes generationes, cui* fecit magna, qui potens eſt. *In Victrice itaque Matre eam, Divinæ præſtantia, Maternitatis, fuiſſe plenitudinem gra-*
Epiſt. ad Paul. & Euſtoch. *tiæ, prædicat Hieronymus, quæ in Filio ex Divina natura: qua plenitudine ſupra omnes Angelos Victricem eorum Reginam majori celebrandam eſſe triumpho, quis non fatebitur? Quamobrem Deus* (Sanctissime Pater) *qui, ſcribente Ma-*
Homil. 16. in Ezechiel. *gno Gregorio, paulatim docet Eccleſiam ſuam, magna, quæ fecit Matri, non*

omnia

omnia ſimul, ſed paulatim innoteſcere, mirabili ſapientia diſpoſuit; ut nova ſemper exultatione, canonizatione Sanctorum gaudens Eccleſia, &, ipſorum Reginæ adaucta laude, novas jugiter gratiarum actiones largitori Deo Fidelium obſequio, & hymnis quodammodo referat. Cum igitur ea præſtiterit gratiâ, quâ contereret Serpentis caput, in conceptu ſuo Virgo (in qua ineffabiliter virtutis exauctam merito uſque in beatiſſimum mortalis ejus vitæ finem mirantur Angeli) ſupereſt, ò Chriſtianæ rei ſupreme Arbiter; quòd in ſummo argumento exile quid exhibuerim; ut veniam humiliter implorem, & benedictionem (quam clementiſſimè largiaris) ad ſanctos pedes procidens obſequentiſſimus.

Io: Chryſoſtom. homil. 17. Auguſt. de Geneſi contr. Manich. c. 1.

Romæ pridie Kal. Maii an. 1733.

IM-

IMPRIMATUR,

Si videbitur Rmo Patri Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro.

N. Baccarius Epiſcopus Bojanen. Vicesgerens.

APPROBATIONES.

De mandato Rmi Patris Joannis Benedicti Zuanelli Sac. Apoſtolici Palatii Magiſtri, attentè perlegi, & accuratè examinavi opuſculum, cui titulus eſt: *Deipara Victrix &c.* heroico exaratum carmine à Clariſſimo Viro Sanctes Burdegati, Tertium Ordinem S. P. N. Franciſci profeſſo, in eoque non ſolùm nihil reperi, quod ſanæ doctrinæ, probiſve, ac Chriſtianis moribus adverſaretur, quin potius inveni, cuncta redolere, & tenerrimam in Deiparam immaculatam pietatem, & admirandam ſacrarum literarum eruditionem, improbumque devotiſſimi Auctoris laborem, ut non abs merito crediderim, illum hoc in ſcribendi genere omnibus præripuiſſe palmam, nec quempiam facilè poſt hac ipſum aſſequuturum; unde & cum majori nunquam ſatis laudabilis Victricis de Styge Virginis Mariæ laude, & cum celebri Auctoris fama typis vulgari poſſe cenſeo. Datum Romæ ex Conventu S. Franciſci ad Ripam Tyberis hac die 25. Martii 1733.

Fr. Dominicus à Cleſio Min. Obſ. Ref. S. Theologiæ, & Controverſiarum Fidei Lect. Emeritus, Sacræ Congregationis Indicis Conſultor, & Supremæ ac Univerſalis Inquiſitionis Romanæ Qualificator.

INhærens mandatis Rmi P. Joannis Benedicti Zuanelli, Sacri Apoſtolici Palatii Magiſtri, attentè perlegi opuſculum, Inſignitum hoc titulo: *Deipara Victrix*, heroico carmine elocubratum à Clariſsimo Viro Sanctes Burdegati; cumque in tali carmine perluſtrando nihil offenderim, quod Catholicæ Fidei dogmatibus, moribuſque Chriſtianis adverſetur, ſed omnia in eo contenta præfati Auctoris ſanam doctrinam, & ſummam, erga Innocentiam originalem Deiparæ Virginis, religionem patefaciant, idcircò hunc ſuum laborem publica luce dignum cenſeo.

Datum Romæ ex Ædibus S. Sylveſtri in Quirinali hac die 15. Aprilis 1733.

D. Cajetanus Maria Merati C. R. Sac. Rit. Congreg. Conſultor.

IMPRIMATUR.

Fr. Jo: Benedictus Zuanelli Ordinis Prædicatorum Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter.

LIBER PRIMUS.

NOs juvat eluſas Erebi vi Numinis artes
Dicere, cum primi lethali labe parentis
Immunem Nato Matrem ſtudioſa pararet
Mens ſummi Patris; nec dignior ulla manebat
Venturum par aula Deum, quæ neſcia ſordis
Conceptum ferret Sancto de Numine Numen,
Exitium ac genitis jamdudùm averteret Evæ.
Vos primæ Superûm Mentes, quas lumine vultus
Alma Trias beat, atque ambit ſanctiſſimus ignis
Lucis inacceſſæ (neque enim penetralia cœli
Vos arcana latent) cœcas mortalibus umbras
Eripite ex oculis; & magni pandite, ſi fas,
Mirandum Genitoris opus; mens numine veſtro
Virginis aggreditur decus altum expromere Matris,
Quæ veterem, propiore Deo, pede conterit Anguem:
Labis pura ferens primo Una ex hoſte triumphum.
Viderat, æternos inter meditata receſſus,
Res venturi Orbis Sapientia Numinis: illi
Cuncta patent, aſtantque ſimul Superûmque, hominumque,
Quæ ventura prior, poſtremaque viderit ætas, *Eccl. cap. 23. 28. & cap. 42. 19. & 20.*
Sors, rerumque vices, cordiſque repoſta latebris,
Mille ubi mens hominum ſpectacula voluit, oberrans
Ictu oculi; novitque animus, quàm ſurgat origo

Incorrupta ſui, nec vilibus hiſce creari
Seſe, quotquot agunt mortalia pectora, curis:
Tum primævi hominum caſus miſerata parentis,
Quæque omnes angent venturos damna nepotes,
Conſilium pietatis amat: par nulla voluptas
Numinis, ac prodeſſe homini: reparare ruinas
Cui dabitur tantas, inquit: mortalibus auſis
Majeſtas violata Dei eſt: dementia ſervum
Quæ tanta obtinuit? (lex illi edicta, ſuiſque,
Non revocanda, manet: quacumque comederis hora
Geneſ. cap. 2. 17. Arbore de vetita, morieris morte) manebunt
Exitia; ereptos ecquis reparabit honores?
Ad Hebr. 9.14. Filius ergo Deo, Deus ipſe, ſit hoſtia Patri,
Ad Philipp. 2.7. Induat ac ſervi formam: ſub tegmine mortis
Factus homo, lateat Deus immortalis; at ipſum
Numen homo, reparetque Deo decus omne, hominique
Limina, tergemino Cœli obiice clauſa, recludat,
Sitque Dei mors vita hominis: non agnita Mundo,
Tanta hæc Divinum repleant incendia pectus,
Quo Patri ſacer ardet amor: naſcetur at iræ
Ad Epheſ. cap. 2. 3. ad Rom. 5. 12. Filius omnis homo; primique ea pœna parentis,
Apprendet Mors unà omnes: contagia labis
1. Corinth. 15. 22. Noxia ne maneant, afflatos unda nepotes
Apoc. 1. 5. Luſtret, ab exanimi promanans pectore vitæ:
Sic luat omnis homo pœnam; ſic munere Cœli
Vitam habeat. Fœcunda Deo, decet, una Virago,
(Quandoquidem Divina Parens Divina repoſcit)
Concil. Triden. ſeſſ. 5. num. 5. Stigmate ne Patrum vileſcat; mortis ab umbra
Nec Sol Juſtitiæ maternos duxerit ortus:
Iſai. 7. 14. Virgo, omnes inter paritura, & criminis exors
Una erit; omnipotens preſto ſit numine Virtus:
Hæc aderat (digiti nutu quæcumque creavit,
Ipſa facit) moxque affatur Sapientia: rerum
Poſſibiles, Nihili quas cœca involuit abyſſus,
Haud vetitum tibi, Diva potens, attingere fines:
Mille aderunt magni (fiant, ſi dixeris) Orbes;
Pſal. 148. 5. Quæque uni, Nil ipſa dabit primordia cunctis;

Nil

Nil etenim, Te præter, adeſt: ſpectabile cœlo
Quidquid erit, terriſque oriens, tua ſumma poteſtas
Conſtruet, & ſuperas Mentes, & ſidera, & orbes
Cœlorum; ac tandem, Divinæ frontis imago,
Fiet homo: poſt tanta, nihil ceu feceris; omne,
Quod fuerit; quaſi gutta cadens prope luminis ortum, *Sap. XI. 23.*
Adventante die; quaſi mole premente, ſtateræ
Momentum labentis erit, ſi fortè creata
Ante tuum ſteterint numen: ſic fabitur, Almo
Flamine commonitus Vates Solymæ: illius ore
Plura arcana homini pateant, ne, lumine cœli
Ductus homo, noviſſe Deum, quem pronus adoret
Corde, genu, obſequio, timeat ſpe fretus, ametque,
Neſciat: aſt (fatear tandem; ditiſſima cunctis,
Quæ faciet, majora potens tua dextera; noſti,
Si jubeas nutu: fiant; quid Numine dignum,
Grande æquè, ac ſanctum valeat) Galilæa Virago,
Quam genitam ſacra Jeſſe de ſtirpe creabis, *Matth. c.1.6.*
Unigenam ſurget magni enixura Parentis,
Concipietque Deum; cœptis, altiſſima Virtus,
Ipſa aderis; tum Virgo parit: de Flamine Sancto
Conceptus Deus ipſe puer, cum miſſus ab alto;
Ut ſuperas redimendus homo revocetur in arces;
Fiet homo, ſumpta puro de ſanguine carne
Illius: hac fieri majorem Virgine Matrem,
Sæcula nulla dabunt; ſtetit hìc tua ſumma poteſtas;
Matrum hæc omnis honos; virtutum mille niteſcat
Cœlicolûm Regina potens redimita coronis;
Angelicique Chori modulentur carmina laudum
Omnia virtutum Dominæ: tum ſæcula Regem
Admirata ſuum, dignatum in tempore naſcj,
Luce nova exultent; major tum gloria Verbum
Efferat, humanam ſumens de Virgine carnem;
Cum, miro, teſtata Deum, dabis ordine rerum
Grande decus Terris, Virtus æterna, ſcietque
Auctorem natura ſuum, de Virgine natum:
Eoique novo ducentur ſidere Reges, *Matth.2. v.11.*

Digitized by Google

Munera tum Regi Regum ſua quiſque ferentes.
Virginis at Matris (neque enim mirabilis ævo
Æquè ullo titulus) per te ſpecioſius omni
Laude hominum generis, licet ipſa è ſtirpe Parentum,
Fac, decus aſſurgat, rerum molimine majus,
Nulli Adam ex genitis dandum; ſuperique, hominesque
Mirati virtutis opus, quâ grandia promis;
Ac titulus fert magna: Parens electa Parentis
Divini Genito, pſallent his dulciter hymnis:
Pſal. 71. 18. Qui Sapiens, hæc mira facit; qui ſolus honore
Apoc. 15. 3. Dignus, tanta poteſt. Superi ortus lumine Mentes
Afflatæ, quæ ſis, noſcent, hominique recludent
Scripta Prophetarum, quæ ſint abſcondita Regis
Munifici ſuperûm; nec non ſpectabile quidquid
Daniel 6. 27. Irradiat Cœlo, Terriſque; ac grandius inter,
Quæ facias, cognoſcet homo, tot dotibus auctus,
Intus opus latuiſſe ſibi; Divinaque imago
Mens illum erudiet: Triadis venerabilis alma
Geneſ. 2. 7. Lux animus tuus eſt; dedit hæc ſpiracula vitæ
Spiritus ipſe Dei: non attamen omnia norit
Pſal. 105. 2. Ullus, quæ poſſis; meditanti occurret abyſſus
Altior, atque latens, nova lux; ut noſſe creatis
Auctorem nitatur homo, mirabile dextræ
Eccleſ. 3. 11. Aſt opus artificis lateat (ſcrutentur & ipſi
Æternùm Seraphim magnalia, grandia Regis,
Cui propiùs, regni Proceres, famulantur, amando
Intuitus defixa acie, dum flamma perennè
Flagrans corda beat: felix unde æſtus amoris;
Intima queis dabitur vigilare in limina Sancti
Regia Sanctorum, non enarrabilis aulæ;
Aſt amor, hos tantis dignos acceſſibus urgens,
Exardeſcet adhuc, incendia ſumma beato
Daniel 7. 10. Igne novans: uni, par millia mille miniſtrent,
Qui Cœlum, Terramque replens, quodcumque creatum
Majeſtate ambit Supremi Numinis) ergo
Exere opus, cui non ſit opus mirabile cunctos
Æquè inter genitos Adam: quæ Virgo, Parentis

In-

Digitized by Google

Ingeniti pariet, ſpectabunt ſæcula, Natum,
Virgineo humanam ſumpturum è viſcere formam,
Pura, licet patris temerato è ſanguine, ſurgat,
Labe carens concepta tuæ molimine dextræ;
Ipſaque, ut Aula Dei ſit ſancta, ſacraveris ortus.
Te coram velut ima jacent, quæ multa creabis,
Sive colant humiles terras, ſive atria Cœli;
Attamen ipſa vales efferre; altiſſima namque
Sedes, Diva, tibi; mirabile prompſeris unum
Hoc opus inter Adæ genitos; violata nec ullo
Nomine Lex: Adam de ſemine filius iræ
Omnis naſcatur; nam peccavere nepotes *Ad Rom. 5. 12.*
Primo in Patre omnes (nullum peritura per ævum *Ad Epheſ. 2. 3.*
Juſſa verenda Dei) Regum ſed Regis amore *Geneſ. 2. 17.*
Haud indigna Parens, ſuperûm Regina; decoris *Eſther. 15. 3.*
Quæ titulo ſpecioſa fui: par, Numine læſo, *S. Anſelm. in 2.*
Propitiat Natus Patrem: rata fœdera pacis *ad Corinth. de*
Hîc Mater capiat, Regem dans una ſalutis *excell. B. V.*
Omnibus auctorem; Deus ipſe oracula Vatum *cap. 5. ſerm. de*
Concept.
Sanguine, factus homo, firmaverit. Actus amore *Joan. 19. 28.*
Omnis Adæ genitus ſtudiis efferre paternis
Ardebit ſobolem; recti ſic jura repoſcant:
Hic tua, Diva potens, æqua inſtent juſſa: paretur
Divino Unigenæ par aula decoris, ab aſtris
Cum miſſus revocare hominem; nova fœdera ſæclis
Conſtituet, Cœlo Terras, ſervumque rebellem
Concilians Patri; flendo de crimine ſancta *Ad Rom. 5. 10.*
Lege licet violata, Erebi mox vinctus in arces
Detrudendus erat; ſic culpa repoſceret auſo;
Ni miſerans Deus ipſa Patris Regalia linquat
Limina, ni facto belli certamine, gentes
Captivas ſolvat, devicta morte, Redemptor.
Vincula namque Orci ſubiit turpiſſima princeps
Cœcus homo, lapſus tam protinus arte Colubri,
Rex (Deum enim deceat) regali nomine, labis
Edicat puram, decorans in ſecula, Matrem.
Cœlicolûm tum ſanctæ Acies, hominumque nepotes,
Quot-

Quotquot ſideras poſt vim certaminis arces,
Victores ſcandent, æterni carminis hymnos
Perſolvent Regi, quem ſervi lege Parentem
Exemptam dixiſſe juvat: quis vincula Mundo
Ut frangat, ſuperis mirantibus, exuet omnes
Majeſtatis opes? nec jura reſolvere cultus
Regius in Matrem poterit: coluiſſe parentes
Exod. 20. 12. Quin jubeatur homo, commiſſa in marmore lege
Ductori Mosi; rerum ille retexerit ortum:
Quod tu ſola potens dederis cunabula Mundo.
Haud fas, ſervili Matrem vileſcere nævo,
Quæ pariat Regem Superûm; quæ lumen & Orbis
Afferet, horrificis vinctam prodire tenebris:
Hæreat ipſa Deo, Lucis qui miſſus ab arce
Lumine inocciduo Matris reſpexerit ortus:
Pſal. 84. 14. Juſtitia hunc præeat; ſtygiis olim hæſerit umbris,
Ad decet, æternj Genitrix tota aurea Solis?
Pſal. 86. 1. Montibus in ſanctis jacias fundamina ſanctæ,
Pſal. 92. 7. Haud quatienda, Domus, ſeclorum condita Regi;
Ac velut in medio maris edita, firmaque rupes,
Æquari indociles, inter caput exeret undas;
Hinc amor, hinc dolor urgebunt, hinc ſævus uterque
Alternis vicibus laniabunt viſcera Matris;
Matris at electæ pacem de pectore Princeps
Iſaiæ 9. 6. Pacis an abſtulerit? poſt facta pericula virtus
Clarior exurget bello ditiſſima palmis.
Jamque Trias, unum Numen, cui ſumma poteſtas,
Majeſtas ac una, licet trino ampla decore,
Hanc ſciat extructum ſibimet ſpectabile Templum,
Et candore nitens, & purum lumine Patris,
Stirpis Adæ genitam, venturo Numine dignam.
Formæ opibus ſervata Deo fax alma pudoris
Naſcenti decus ingeminet; ſic Virginis alvo
Prodire intactâ ſobolem; ſic Sanguine Matrem
Surgere polluto, nullaque nigreſcere labe,
Servato candore nivis de limine vitæ;
Ceu jubar Auroræ tenebris traxiſſe paternis;

Quan-

Digitized by Google

Quandoquidem, Patris ipſa, tuo Tu numine, virtus
Id potes; id magnum deceat, quod grandia poſcunt
Auſpicia, ut Verbum miranda aſſumptio carnis
Pulchriùs excipiat: Nato, hîc grandeſcere Matrem,
Reſpectam Genitore Deo, ſit Numinis, ante
Sæcula, delicium; coluiſſe in Patre Parentem,
Servatam cultu Unigenæ, ſit gloria Regis.
Dedecus ito procul, nullum delebile in ævum:
Chriſtiparæ triſtem ſtygio olim ſtigmate frontem!
Lux, nitor, & virtus; & ſpiritus omnis ab uno
Numine ſint Cœlo, ac Terris; effundat abyſſus
Luminis æterni; quo cuncta inſpexerit ante; *Pſal. 138. 5.*
Nec fas eſſe Deo, tenebrarum evertere mentem?
Ingenitâ quid Luce procul (quâ vincitur Orbis,
Qua clareſcit homo Divino munere) Solis
Juſtitiæ molita vias, Aurora propinquet
Sole carens? An ſumma Patris Lux orta tenebris
Hæſerit, atque hominem tota caligine lethi
Ereptura dies propiùs deduxerit umbras?
Hîc auferre juvat materna pericula Verbum,
Cui magni æternùm ceſſit jus omne Parentis:
Corda fovens hominum, pietas ſi qua hoſpita terris;
In Matrem pietas, Divini pectoris ardor
Plenus erit, flagrans ignis puriſſimus: ergo,
Omnia, Diva, potens, merito ſubſcribe decori;
Sitque decus Triadi, puræ decus omne Parentis.
Dixerat: omnipotens Virtus ea pectore verſans,
Sanctum ingens molitur opus: Divina creatis
Vix benè componas: Sapientia Numinis illi
Plurima quæ ſtanti facundo protulit ore,
Ictu oculi citiùs, flagrantis fulguris inſtar,
Aut nutus mentis, ſi finxeris, omnia promi,
Quæque favens dictis Divina Potentia ſecum
Fata eſt; mortali metiris ſecula greſſu.
Orbis res, Mentes, rerum phantaſmata, & omnia,
Unde, objecta Deo, Divina in mente renident;
Plura licet ſurgent nunquam; tam plurima voluit

Se-

Secum uno æternum Numen, præſentia ſpectans;
Sap. 9. 1. Eccleſ. 18. 1. Actu uno faciens, uno Verbo omnia dicens.
Ergo ait: alma Trias nutu annuat hiſce ſupremo;
Conſilium & noſtrum ventura tuebitur ætas.
Numinis aula patet; Sed enim penetralia fulgor
1. Ad Tim. 6. 16. Ambit inacceſſus; nec menſo altiſſima gyro
Lux totum molitur opus; comprendere nulli eſt:
Regia digna Deo: vetitum mortalibus auſis,
Mente licet grandeſcat homo, ſupera atria Sancti
Sanctorum poſita rerum conſcendere mole:
Sæcula cum primùm naſcentia voluere in orbem
Geſtiit, exortum Cœlorum cardine, tempus,
Admirata ſui ſteterunt ad limina Regis,
Eſt ubi Rex ſolio, non auſa aſcendere in aulam:
Lux, Decor, & Virtus, & majeſtate verendus
Hîc Deus; hîc nihilum ſupereſt; locus abſuit; uno
Clauſerat omnipotens circum omnia numine Numen;
Cunctaque labuntur, pereunt, ſi fortè recedat,
Primævïſque jacent Nihili tumulata tenebris:
Immortalis opes regni, rutiloſque receſſus,
Ipſa, uni Regum ſacra limina debita Regi,
Quis dixiſſe audet, quæ mens pervadere tentat?
Stans immota acie Lucis puro obvius Aſtro,
Flammivomum medio Axe jubar quis pertulit unquam?
Omnia ſumma, ipſo plena omnia Numine; latas
Immenſùm nulli liceat penetrare latebras.
O Amor, omnipotens Bonitas, quo lumine ductus
E tenebris attinget homo mirabile Verum,
Alta luce latens, in ſe virtute recedens!
Æqua aderis, ter magna Trias: pulchra atria Patris
Lux, & Vita habitant (ſancti reverentia vultus
Urget ubique) metu pallor tenebroſior illam,
Hanc tremor obruerent, alto ni pectore Numen
Joan. 1. 3. Muniat, ac foveat: manet ipſo ex Rege character,
Fulgur inocciduum, vexillaque Regia præbent:
Hîc Via, Vita, Salus. Te ſummum Numen, adorent,
Protinus affatur Sapientia (& illius ore

Tota

Tota Trias jam pendet) ament, cultuque perenni
Circumſtent,quæcumque potens tua dextera promet:
Ingens, quod moliris, opus Telluris, & Alti,
Ipſaque Cœlorum latè confinia reples
Majeſtate, ſit omne tibi, quodcumque creabis:
Aſtra tuas laudes dicent; Divi atria pacis
Æternùm tibi puri habitent, humileſque; ſuperbos *Apoc.1.12.9.*
Conterat ira ultrix, atque imo claudat Abyſſus
Carcere,qui Genitum Patris venerabile Verbum,
Factum hominem noviſſe negant, cultuque latriæ *Joan. 1. 14.*
Semper adorandum, Superiſque,hominique, Ereboque,
Deſpicient: æternus eos manet angor ab antris
Tartareis: Chriſtum, Verbum de Patre, fateri
Cogantur, Patri æqualem; ſubſtantia Patris *Ad Philip.2.6.*
Ipſa Deum Chriſtum faciat, ſubſtantia Matris
Ipſa hominem Verbum:Chriſto perfectio Verbi
Manſerit, aſſumptique hominis, Perſona ſed una;
Evehat hinc hominem Verbum: tremat illius ergo
Infera plebs nomen: ſtellarum tertia Cœlo *Ad Philip.2.10.*
Pars ruet è ſupero; livens cervice ſuperba
Exitium dabit omne Draco nequiſſimus, aſtris *Apoc. 12. 4.*
Detrurſus, ſectante Ducem per inane caterva,
Cum Michael, pars militiæ fortiſſima Regni,
Conteret edomitum ſævo certamine: ſedes
Ergo, tot aligeris pro civibus, impleat omnes
Gens hominum; ſic juſſa tui, Rex provide rerum,
Committenda ævo, dederit tua ſumma voluntas:
Per te ſurget homo, miranda Auctoris imago; *Geneſ.1.27.*
Aſt miſer, è latebris infenſo, corruet Angue, *Geneſ. 3. 4.*
Unigenæque Dei eſt tantas auferre ruinas,
Facti hominis, qui vita, ſalus: de cardine Lethi
Suſcipiendus homo; lethalia vincula rumpat,
Vincta Morte Deus; dempta cervice catenis,
Solvantur gentes. Virgo enixura Parentis
Æterni æternam ſobolem, de ſanguine ſontis
Ipſa feret turpi cum ſtigmate vincula; Regis
Ipſa Parens; Adam miſerorum electa nepotum

Con-

Confugium, ſpes, una ſalus; venerabilis omne
Inſontum Superûm Regina electa per ævum ?
Nati, ac Regis honos, toto effulgeſcere cultu
Hîc ſibi ſervatam procul omni labe Parentem,
Summa Trias; decus unde tuum; nec pulchrius ullum,
Surget opus: corruptâ hominis de ſtirpe Virago
Incorrupta manens: nil Verbo acceptius unquam;
Cui dabitur ſine ſorde domus, radiataque puro
Servatæ fulgore nivis, cum deſeret arces
Æthereas, pleno Patris candore coruſcas:
Tabifici pereat, genitos qui polluit Adam,
Vis colubri; nec ſordenti pede geſtiat hoſtis
Virgineam temeraſſe animam: ſibi ſentiet Orbis
Chriſtiadum, genus electum, quàm grande triumpho
Præſidium Virgo attulerit; de limine Vitæ
Cum, propriore Deo, contriverit ipſa Draconem,
Perdere lethifero qui nititur Aſtra veneno.
Hîc fas omne Dei, miranda expromere Mundo,
Queis Verbi emineat Genitrix: ea gaudia ſancto
Sint Genito, ſupreme Parens, extollere Matrem
Unigenæ cultu, mirabili origine Patris.
Servata, dum fiet homo: nil clarius unquam
Aut Cœlo, aut Terris fuerit, licet omne creatum
Conceſſas efferret opes; lectiſſima nanque
Ipſa tuo, ſine labe Patrum concepta, virago
Sic dabit, alma parens, humana exordia Verbo,
Fœdera ſic homini Verbum divina, parente
Conciliante dabit; fuerint ea limina pacis,
Ad Rom. 5. 11. Qua revocetur homo, poſt auſum grande rebellis.
Pſal. 77. 69. & 92. 5. Structa Deo hoſpitium domus adſit, inhoſpita culpæ;
Turpius hac nihilum: procul infenſiſſimus hoſtis
Abſit, ubi firmet ſibi pura cubilia Sanctus.
Ergo Pater, te poſcit opus concedere Nato,
Unigenæ, ac Regi quidquid tua ſumma poteſtas
Exigit, ut poſſis, nullo mutabilis ævo:
Quidquid amor ſecretus habet, quem Filius unus
Luc. 10. 22. Novit, amore fovens arcana incendia Patris,
Spi-

Spiritus unde Almus ; per quem conceptio Chriſti
Prodeat abſque viro divinitùs : ipſaque Mater *Luc. 1. 35.*
Integra, concipiens virgo de Numine Numen,
Exors labis Adæ, Genitoris dona potentis
Efferat, æternum ſuccenſi pectus amore
In Genitum, cui plenus amor : ſurrexerit Orbi
Lux hominum, Via, Vita, Salus ; ſit nuncia Mundo
Lucis inocciduæ nunquam non clara ; Deique *3. Regum 12. 31.*
Sit via ſancta ; ferens Vitam, primordia vitæ
Sic capiat ; ſit ſalva prior paritura ſalutem.
Lux tua, Nate Deus, Verbum admirabile Patris,
Ambiat ipſa tuo ſervatam in pectore Matrem ;
Impleat ac ſacro maternum gurgite pectus
Fons vitæ, nec tum poterunt contagia Patrum.
Secula procedent, facinus meditantia Regis,
Atque novum ſpecimen : Reginæ auguſtius omni
Struxerit is ſolium, licet ipſo è ſtipite Patrum
Vincula detineant venturos ferrea gnatos ;
Pura electa parens ſteterit cum luce, nec Orci
Squalida compedibus ; minitantia vincula mortem
Dextera magna Dei confregerit ; omnia Natus
Namque potens, quæ magna, decet concedere Matri
Providus, æterno meditatur pectore Matrem
Ipſe tenens fas omne Patris, Patremque repoſcens
Solicitus, quæ mandat amor, quæ tradita poſcant
Jura verenda homini : venerabere, nate, parentes. *Exod. 20. 12.*
Tum Vatem, cui clara domum dabit inſula Patmos ;
Quandoquidem, quæ ſumma latent, ſibi credita promet ;
Spiritus erudiat, Regis myſteria fari.
En mulier, mirum in Cœlo, fulgeſcit amicta *S. Auguſt. S. Bern. S. Epifan. in Apoc. 12. 1.*
Undique Sole ; decus par non innotuit unquam :
Circumſtant duodena caput diadematis aſtra ;
Sidere pulcra oritur, Deus illi eſt ſideris ortus ;
Luna ei ſub pedibus : neque lux defecerit uni
Dilectæ Patris, qui ſæcula lumine complet.
Enixura Deum, Virgo ſit neſcia labis ;
Ante omnes ſit pura Deo, maneatque decoris

 Æter-

S. Thom. in cant. 4. 7. Æternùm ſpecies; ſacros hinc duxerit ortus
Regis Regum oritura Parens: procul ite catenæ;
Quid juga? quin hoſtis deflectite colla tyranni:
Vincula ſi qua paret, Genitricem innectere puram
Auſus, flammivomas ei mox innectite fauces:
Cui decor eſt vitæ, ſint vincla, ſed aurea Cœli;
Alligat his pacis Princeps cunabula Matris,
Polleat ut fortis procul Orci à compede Victrix:
Regis & unigenæ tum Matri gloria torques,
Quo Duce Victricem, ſtrato manet hoſte, triumphus.
Iſa. 28. 16. Fundamenta tui, ſpecioſis jacta lapillis,
Ad Epheſ. 2. 20. Tuta Sion, lapidem poſuere æterna probatum
Juſſa Patris; fundata Deo, Cœlo aurea ſurgis;
Tergeminumque latus gemmâ fulgentior omni
Effert ipſe Lapis; circum pretioſa refulges;
Ac tua, qua prodis, lux eſt in origine radix.
Carthuſ. lib. 3. de laud. Virg. Spuma venenato turgens atra ore Draconis,
Diſpereat, ceu turbo rapit, disjecta Potentis
Flamine: cuncta afflans virtus, ſpirabile Numen
En aderis cæptis, Deus immortalis, & alta
Attingens, & magna potens (poſt terga revincti
Apoc. 20. 2. Carcere mox jaceant hoſtes) altiſſima, fortis
Rex, habites, moveaſque, manens, nutu omnia: ſolus
Apoc. 4. 9. Æternùm qui vivis, habes, quo promere vitam:
Qui regis æternùm, nocituras frange catenas.
Sic magnam alloquitur Triadem; mirabile dictu,
Cum Patris omnipotens, ut prodat grandia Mundo,
Expetitur Virtus: facunda ea dicta rependit
Pro Genitrice Deus Genitus; ſic omnia dicens
Prodiit ore Patris: nullis narrabile ſeclis,
Quanta Deus, ſpectans præſentia cuncta, per ipſum
Protulerit, Verbo licet uno cuncta locutus.
Dein Patrem venerata; tibi mos, ſubdidit, ante
Omnia; quæ miro nexu concepta creabis;
Unigenæ placuiſſe; arſitque rependere ſancti
Natus, dulce Patri, pro pignore pignus amoris:
(Majeſtas, decor, & virtus accendere flammam

Immen-

Immenſam potuere foci, quò pectora flagrant,
Quæ fovet, hiſque alitum ſpiratur amabile Numen)
Virgo, Parens Geniti, quam ſponſam deligit Almus
Spiritus; æternâ non eſt tibi volvere mente
Grandius; ipſa Patris ſpecimen regale potentis,
Filia, Sponſa, Parens, mirando fœdere poſcit.
Ecce decus Triadis ſervata ex omnibus una
Numine ſancta tuo, Pura, Alma, Electa, decore
Tergemino excellens: rerum cui ſumma poteſtas,
Mira hæc illius dicent ſuperique, homineſque;
Quin ea quotquot ament Adam celebrare nepotes,
Soliciti tantæ laudes efferre Parentis,
Vitam habeant, propiuſque acri tutamine Cœlum: *Eccleſ. 24. 31.*
Par, ubi concelebrent claro hæc myſteria cultu,
Quo pia mens noſtro ducatur lumine (Sacri
Flaminis unde focus ſuccendet pectora) gentes
Exultent; terris vireant ditiſſima pacis
Germina, præſidiumque novum ſibi præſciat Orbis
Chriſtiadum: qui bella, faces de limine Mortis
Suſcitat, infractus furiali fronte tyrannus
Concidat, æternoque altè demerſus in antro
Horreat illatas humili ſibi Virgine clades;
Victrici, propiore Deo; imbelleſque ſuperbus
Sentiat edomitus graviores morte catenas.

Nec quæ tu jubeas, recti Deus, ordine rerum
Poſthabito fiant; ſua ſit ratio inſita cunctis, *Pſal. 103. 24.*
Quæ manus omnipotens promet, ne cuncta fatiſcant,
Mens fuerit tibi, magne Pater; ſic illa profatur;
Ipſe voles, hac lege boni quæcunque creari;
Omnia manſuro ſint condita fœdere recti;
Numine ſtructa tuo, firmentur & ordine: Cœlum
Tergeminum, terraſque regant, hoc auſpice, Mentes;
Sit fax ille viis hominum, Superûmque (perenni
Ceu curſus voluente rotâ, circumvaga Solem
Spectabunt, ut opes quærant ſibi luminis aſtra)
Te poſcant omnes; ac rerum ambagibus actos
Lux tua deducens, ea lex, ea nobilis ordo eſt,

Iſa. 30. 21. Unica & ipſa ſalus; dextrâ; lævâque peribunt;
Obtutuſque tuus tutabitur obvius Orbem:
Una boni, rectique fidem det ſemita; leges
Has norit quidquid Cœlo, terriſque revolvet
Mens omnis; Deus unus eris, Deus omnibus idem,
Lege data; lex ipſa via eſt; iter omnibus unus
Signas, quod teneant; rerum ſic diceris Auctor,
O Rex, cuncta potens. Genitrix, ſervataque Virgo,
Una omnes inter veteris puriſſima labis,
Mortis, & Inferni ſurgat prærepta tenebris,
Quæ genus humanum, capta poſt mente Parentum,
Obruerint; quâ luce carens jam matris ab alvo,
Sit revocandus homo domiti de carcere Lethi,
De cæco ſqualore Erebi, ne ferrea Mundum
Vincula perpetuò ſubigant, à crimine vinctum.
Ipſe tuum Verbum, profuſo ſanguine, Chriſtus
Divinas præſtabit opes (detque una redemptis
Hæc vitæ pretium merces exprompta, jubente
Te Patre) captivis lethalia vincula ſolvat
Solus amor miſerans, Genito moriente, nec ullus
Ad Rom. 5. 21. Lethi adimendus erit, Chriſti niſi morte, catenis.
Pſal. 103. 24. Sic fas, ô Genitor (mihi nam committere munus
Eccleſ. 24. 5. Omne tuum placuit; de te mea prodit origo)
Poſt ævum ventura licet, præſentia ſummo
Daniel 13. 42. Numine cuncta tenes, comprendis, & ipſa tueris:
Jamque, Pater, dilectus adeſt tibi Natus, amoris
Æternum tibi pignus, adeſt oblatus & uni
Apoc. 13. 8. Victima pura tibi; dicent à limine Mundi
Mactatum Patri; tua juſſa faceſſit ad aram
Uſque Crucis; quam fortis amor: periere phalanges
Tartareæ, ceciditque jugum ſervile; catenis
Projectis, auſumque Erebi, Lethique fugavit;
Namque gigantæo tractavit bella lacerto,
Ad Coloſ. 2. 15. Certamenque iniit coram Genitore; ſuperbo
Confracta cervice Duci; lætaris, & ipſe
Forti prole Parens: virtutis fama parentes
Evehat in genitis: Matri concede paratas,

Oblato

Digitized by Google

Oblato Unigenâ confixâ Morte, coronas. *Apoc. 12. 9. & 14.*
En Draco procumbens Michaelis ſternitur irâ;
Præripiat magnis Aquilæ victoria pennis
Victricem Matrem: pateat via tuta parati
Nec mora, confugii. Regum ſic Regis amore
Digna, creatricis dextræ ſolvatur ab ulnis
Filia pulchra ortu, ſervataque neſcia lapſus,
Nanque Parens Agni: projecta ex ore Draconis
Flumina nil poterunt: Mulier mox tuta volatu *Apoc. 12. 16.*
Clareſcat prope Solis iter; procul inde tenebræ: *Carthuſ. lib. 3. de laud. Virginis.*
Vicit morte Deus Mortem; conceſſa parenti
Divinæ pateant munita cubilia ſacri
Pectoris in latebris; non ſunt certamina Matri
Indicenda, tenet, Genito victore, triumphum.
Ecce Redemptoris deprompta numiſmata; juſſa
Sanguine ſcripta Agni: Pereant, proſcindite ſunes,
Cœlicolæ, ſtygios: Verbo hîc pugnante, catenis.
Geſtiit unigenæ virtus avertere Matrem:
Ipſaque regali Patris ſervata ſub arce,
Duxit tuta dies, ſtygiique pericula belli *Apoc. 12. 6.*
Nec ſubiit; nec paſſa minas, nec tela, nec hoſtem
Horruit: ante Agnum poſitæ periere nefaſti
Agminis inſidiæ, ſuriiſque exempta Colubri
Stat Victrix: fraudes Erebi certamine in uno
Procubuere; Patrique litans, ante omnia Matrem
Tutatur, ne deſit amor, meliore redemptam
Conſilio Genitus; merces namque ipſa triumphi
Non lapſura Parens: effert Victoria ſigno
Præſidium, periiſſe vetans: ſpes certa ſalutis
Sanguinis en pretium: nunquam famulata tyranno
Tartareo Genitrix, auri velamine fulgens
Hæreat Unigenæ prima inter prælia Regi, *Pſal. 44. 10.*
Et vincat; neque ei nectantur vincula Mortis,
Quæ fregit domitrix Inferni dextera: Victrix
Ipſa triumphali vinctos pede conterat hoſtes.
En ſine labe Patrum ſpecioſa à limine vitæ
Divinæ mater ſobolis: procul invidus Anguis;

Diva immortali ſepta eſt infantula lauro;
Ei manſura ſalus. Hâc, germine pacis, olivâ,
Horreat, ac fugiat vermis manantia vitæ
Balſama, primævæ ſurgens à ſemine ſordis:
Spiritus hic Vitæ ſteterit, ſpirabilis aura
Sap. 1. 7. Numinis; illapſo hoc olim replebitur Orbis.
Jamque, Pater, te, recti opifex; ea cura repoſcit
Maxima: ſit puro lucis fundata decore
Tota coruſca domus Nato, cum deferet arces
Has, ubi te ſancto genitum de Lumine Lumen,
Formâ, opibuſque tui puri candoris amictum
Pſal. 109. 3. Plena hæc Sanctorum ſplendoribus excipit aula.
Si primi ſubeat prognata è ſanguine ſontis
Ad Rom. 5. 18. Vincula gens hominum; nam pœna eſt omnibus una;
Prodeat è Celo virtus; nec Mortis in antro
Conceptus, triſtes Erebi jam ferre catenas
Fleverit exul homo: tabeſcant vincula; tandem
Vincula factus homo rumpat, Vitæque recludat
Limina progenitis hominum, tutamen in hoſtes
Luc. 10. 22. Filius omne decus Patris, tibi cognitus uni,
Teque unum advertens inter ſpectacula pugnæ,
Quo tibi complaceas, bellator; ut una, receſſu
Quæ cordis molitur opus; tua ſumma voluntas
Æternùm fiat, totus quâ manſerit Orbis.
Hæc cunctis via ſola bonis, ſuperûmque, hominumque
Ipſa erit; hac tandem rerum diſcrimina finem
Attingent, ubi, nulla actus caligine mentem,
Proſpicis, ex te uno procedere ſæcula, & unum
Ad te, manſuro ſemper, redeuntia gyro.
Omnis origo boni, recti is laudabilis ordo
Lex, via ſit cunctis, ſemper tutiſſima rebus:
Sedibus è ſuperis imum trudatur ad Orcum
Conceſſa mox ſorte minor, ſolio Angelus alto
Stultè inhians: ſuffectus homo diſcrimine nullo
In ſedes, auſo vetitas, dilapſus, iniquo
Hærens conſilio, tota cum gente jaceret
Carceris in tenebris, infernâque arce, rebellis:

Sub

Sub ditione Anguis: caput Anguis conterat ultrix
Ira tui (cui vulnus erit concepta Virago
Pura) humiles in bella voces, ſternantque ſuperbos.
E latebris raptam, ſic mens reparare ſalutem
Humanæ ſoboli, ſævumque avertere fatum,
Omnis ne pereat: languorum balſama, ſanguis
Quæ dederit mactati Agni, nunc ipſa Parenti,
Enixuræ Agnum ſtillet: de vulnere cordis,
Omnipotens dum fixit amor, manantia Vitæ
E gremio illæſam ſervent in ſæcula vitam
Balſama, quæ lapſam revocant: age, pectoris almi
Unguine dilectam Geniti, Pater, illine Matrem;
Unigenæ mors facta ſalus; ſtructumque ſupernis *Pſal.73 12.*
Sit cor præſidiis, livens quid polleat hoſtis,
Quid tenebræ? Lux ipſe dabis cunabula lucis.
Spiritus altrices Nati ſibi noverit ulnas
Purior, ut puram formet: mirabile, at æquum,
Hoc opus & Mentes noſcent: habet omnia Solis
Luminis æterni genitrix: venerabile Cœlo
Sit decus, ac terris; prodit Regina, parentes
Captivos ſortita, Deus ſed vincula fregit
Projiciens; ſanctæque parant cunabula zonæ
Electæ Chriſti Matri, qui ferre cruentam
Ductus amore necem geſtit, clareſcere Matrem
Quem juvat æternùm. Divini pectoris imber,
Progenituſque latex, illimi è vetrice manans
Fontis inexhauſti, mirabilis unda, perennem
In vitam ſaliens, ubi luminis atria, pectus, *Joan. 4. 14.*
Quo lateat Chriſtus, toto poſſederis ævo:
Lux eris ipſa regens quotquot triſtiſſima Mortis
Nox agit; ac faciens juſtos, quos culpa reatu *Ad Tit. 3. 7.*
Detinet, atque Erebi captivas ducit ad umbras.
En Deus Unigenæ Matrem dilexerit; illam
Cladibus ut ſalvam faciat victoria Gnati:
Ipſum jamque, Pater, ſævos certamen in hoſtes
Impavidum ſubiiſſe vides; genitore revinctas
Solvere jamque hominum gentes, è faucibus Orci

C Ere-

Ereptas, quas arte potens devinxerat Anguis
Geneſ. 3. 5. Invidus, illecebris ſocium mentitus amorem,
Spiritus ergo ſuis cumulet ditiſſimus almam,
Quæ pariat Regem, totus cui ſerviat Orbis,
Muneribus ſponſam: tanti ſpectacula amoris
Proſpexiſſe juvet; bellum ferale Satanæ
Jam nunc indicat Genitus, ne tangere puræ
Unque venenato tentet cunabula Matris.
Munda, electa Deo, formâ ſpectabilis inter
Eſther 15. 13. Prodeat una omnes anima; immutabilis ordo
S. Bernardus Detineat reliquos hominum; de ſtipite labis
Serm. 13. in cœna Domini. Stigmata prima ferant: Claudatur margine (nulli
Fortè unquam pateat) Decreta æterna volumen
Ad Rom. 11. 34. Numinis arcano ſervans: proferre verendo
Carmine prompta ſemel, quidquid, ſupreme latenti
Pectore fers Genitor, nulli conceditur: actum eſt
Lucæ 1. 37. Verbo uno; maneant commiſſa ſilentia ſeclis.
Summa Trias hac dicta tenùs; ſuadentia namque,
Sanctaque facundo prolata agnoverit ore,
Sanct. Anſelm. Mentis inacceſſæ nutu, ac virtute probavit:
Serm. de concept. Id ſatis; haud violanda tenet Decreta volumen.
Dixerat, æternam ſobolem Sapientia Verbum
1. Ad Corinth. Eloquio referens; ſed enim Sapientia Patris
1. 24. Ipſum eſt, exardens cauſam dixiſſe Parentis,
S. Bernardus Serm. 52. de Jam Regni emeritæ; ſemper quoque farier ardet,
diverſ. lect. 4. Quanta Patrem decorent, quàm grandia; lucis abyſſo
Abdita namque manent, omnem effugientia ſenſum;
Atque immenſa latent: Deus eſt interminus uni
Terminus ipſe Deo: ſacras penetrare latebras
Cui dabitur? clauſum tenebris jacet omne creatum;
Stant æternales, ubi ſumma ea limina, portæ.
Plura hæc ſanctiloquo Sapientia Patris ab ore
Audierat, ſummæ meditans penetralia mentis;
Hîc, ubi concipiens, effert Deus omnia Verbo.
Nec poterat meliùs pro Matre effarier ullus
Matris amans genitus: quid non coluiſſe parentem
Debuit ante omnes, ſuperâ venturus ab arce,

Soli

Solicitus legis, Patris ipſo numine juſſus *Matth. 5. 17.*
Unigena, æterni pendens ex ore Parentis?
Quidquid, velle Patrem, ſcit; vult, effatur & unum.
Ibunt firma, ſuo labentia ſæcula curſu,
Evolventque vices rerum; fortuna recedas,
Nomen inane hominum; quidquid contingere Cœlo
Creditur, ac terris, aut occultarier Orco,
Dux ubi tartareus tenebris tegit omnia opacis,
Numen agit; ſanctæque inſtant diſcrimina legis,
Æqua bonis, at dura malis: ſors ergo creatis
Omnibus unus eris, qui noſti cuncta, receſſu
Ante Orbem ſervata tuo; jamque omnia ſummo *Daniel 13. 42.*
Conſilio firmata fluunt: lex omnibus ipſe es,
Quæ regis, ac firmas ipſe, haud mutabilis ordo.
Exultavit amor Triadis de pectore; templum
Proſpicit, extructum, pario ceu marmore, ſacrum *Habac. 2. 20.*
Illa ſibi, cultuque auctum, formæque nitore
Manſurum coram Superis (venerabile Cœlo,
Atque hominum genti, ſuccenſo ubi thuris odore
Ipſius ante thronum ſupplex oratio, Cœlum
Propitians Terris aſcenderit) omnia nutus
Majeſtate probans: tum dicta innotuit uno
Prodire ex Verbo, quæcumque exprompta ſuadent,
Ipſum homini dicenda, ſilens agnovit, ab alta
Mente Patris pleni ſumens exordia verbi: *Joan. 15. 15.*
Pari ſi qua decet, ſæclis abſcondita, dicens
Id tam multa refert, quot ſunt oracula Patris:
Effatumque docent Divina ſilentia Verbum.

LIBER SECUNDUS.

AT Patris intereà vota urgent ardua pectus
Conceptam rerum confeſtim expromere molem,
Omnia ut artificis celebrent præconia dextræ,
Sap. 11. 25. Ingeniumque Dei largiri fœdus amoris
His, quæ tanta facit: ſemper mirabilis ordo,
Divinas ut opes ſummæ Sapientia Mentis
Prov. 8. 30. Protulerit; ſtudioſa aderat, cum ſemina rerum
Poneret Omnipotens, qui condidit omnia nutu,
Nutu diſpoſuit, menſuræ ac temporis expers
Sap. 11. 21. Nil faciens, novitque bonum, quodcumque creavit.
Omnia quin primo norunt, lectiſſima, ab ortu
Condita, miratæ Mentes Superûmque, hominumque,
Artificem celebrare Deum, ſummumque fateri
Auctorem, quo ſtructa manent; miro omnia nexu
Namque Opifex poſuit, tenuitque hærentia dextræ
Arctiùs omnipotens Virtus, ne cuncta fatiſcant;
Sap. 11. 26. Omnia mox etenim pereunt, ſi fortè recedat,
2. Mach. 7. 28. Illapſa in nihilum, facta unde exordia ſumunt.
Atria jamque tenent Superûm ditiſſima Mentes,
Primum opus expromptum: Nihili jam triſtis abyſſus,
Conditor alme, perit: tam multa effundere geſtis
Scilicet ex Nilhilo, Nihilum, te præter, amabunt,
Aut poſcent, quæ cuncta creas? fortiſſime Regum
Rex, exercituum Numen, quis limina pacis,
Quis tua regna fragor, quæ ſigna minantia belli
Æthereas quatiunt arces? jam martius horror
Perſonat, agminibus funeſta in bella vocatis,
Diſſidio geſtante faces; furor arma miniſtrat,
Apoc. 12. 8. Horrentiſque flagrant ſuprema incendia pugnæ.
Confractus cervice ruit nigri ad ima barathri
Iſa. 14. 12. Lucifer, atque cohors, Chriſtum indignata Parenti
Ferre parem; Michael Superûm fortiſſimus urget
Sæva clade reos, cogitque excedere victos.

Vox

Vox clangore tubæ ſonat undique; Firmamentum
Cardine concutitur, vexilla rubentia tractant
Circumfuſæ acies; hìc formabile telum
Fulgure ſanguineo terret, terrorque fugatos
Inſequitur, mediiſque fragor delabitur Aſtris
Bellipotens: urget ſignum ferale, character
Flagrat ubi: pereant; quis ut ipſe Altiſſimus; hoſtes. *Iſa. 14. 14. & 44. 7.*
Hæc affectato ſint facta aſperrima Regno,
Rex immortalis; tua ſunt, tibi debita Regna;
Debita ſunt Agno, per quem de Morte triumphus *Apoc. 5. 13.*
Permanet, ac populata Erebi jam caſtra fatiſcunt.
Cœlorum Cœli, Tellus, neque inhoſpita Abyſſus
Regna tibi claudant; tua ſumma potentia fines
Neſciat hoſce; ò Rex; tibi ſtructa hæc omnia; poſſunt
His majora, tuo, quæ noſti, aſſurgere nutu.
Jamque aulæ pacis, felix ubi Patria, cives
Exceſſere procul, nec ſpes remeare fugatos: *Apoc. 12.9.*
Tartareum proh quàm facilis deſcenſus in antrum!
Cui dabitur revocare gradus? grave permanet imo
Mole ſua, vireſque adimunt diſcrimina lapſus.
Militiæ ſuperæ caſtris ejecta Draconem
Tertia pars ſequitur, manſuris vincta catenis: *Apoc. 12. 4.*
Sedibus is ruit è ſuperis, quaſi fulgur ab Axe *Luc. 10. 18.*
Ignivomo, cum flava comas elabitur æſtas,
Segnis & arentem ſuccendit Sirius Orbem.
Proh dolor! & patrias tam præpes deſeris arces,
Qui ſuper aſtra thronum, vallato Aquilone, locabas *Iſaiæ 14. 13. 14.*
Nuper, & ingenti conatu, æquare Potentem;
Quis furor! auſus eras: tumidæ molimina mentis
Procubuere imo; quis te ſumma extulit arcis
Impavidum, tantæque parat tibi damna ruinæ,
Qui lapſu graviore peris, tumulandus abyſſo?
Sedibus haud ſubeat vetitis inhiare, relictis,
Quas tibi conſtituit Patris ſuprema poteſtas;
Sorte data; dederat Rectrix Sapientia: Princeps
Stares, ſi quantùm licuit, tenuiſſe juvaret.
Terreat, ò utinam, ſeries triſtiſſima rerum

Ven-

Venturas hominum gentes: feralis imago
Erudiat firmo munitam pectore mentem;
Infandi agnoſcat memoranda pericula lapſus
Cautus primus homo: meliori ſorte beatus
Formidans fuerit; ſævoſque avertere caſus
Par æquus timor eſt: quis crederet! heu miſer, aſtu
Geneſ. 3. 4. Anguis, conſilioque perit: meminiſſe ruinas
Aſtrorum, princeps hominum, quid profuit; Evæ
Quid blandiris inops mentis? miſeranda nepotum
Impendent jam damna; inſtat ſæviſſimus hoſtis,
Faſcinet ut dictis; oculis lethale venenum
Proiicit interimens animam, dum pellicit aures
Suaviloquus mendax: nuper diſcrimina mortis,
Prætereas ne juſſa, Parens indixit; amori
Quid miſero indulges? decerptum ex arbore pomum
Uxor habet vetitum, necdum ſuccenderis irâ
In ſcelus admiſſum? centena virentia campo
Germina dant dulces fœtus; tibi cuncta parantur,
Quæ poſuit Rex ipſe, Pater; quæcumque potiri
Sorte datum; tibi Regis amor tam plurima dono
Contulit, arbitrioque tenes, nulli obvia legi,
Gen. 2. 17. Omnia & Uxor habet; lignum de millibus unum
Obſequio Domini ſupereſt; ſocia obſtitit auſo,
Decerpens fructum, nec quicquam exterrita dictis,
Et Patrem, & Regem juſſu vetuiſſe minaci;
Quid cunctaris iners! præſtet laudabilis ira.
At nimiùm devincta animos fallacibus Anguis
Gen. 3. 5. Promiſſis: vetito vobis ſors Numinis ipſa eſt
Ex ligno: primæva parens, primæva noverca
Carpitur, & facilem ſubigit ſententia mentem,
Arreptumque vorat pomum; mirabile dictu;
Gen. 3. 6. Et ſilet, oblatumque audet guſtare maritus,
Haud veritus ſanctæ perrumpere vincula Legis,
Queis non lapſuræ pendent fila aurea vitæ.
Murmurat aura levis Genitorem; fluminis unda,
Irriguo lambens felicia jugera curſu,
Quo vivis, memorat, ſunt hæc veſtigia Patris;

Hîc

Digitized by Google

Hîc ſteterunt greſſus, cùm te ſtudioſa crearet
Dextra potens, cùm prima daret ſpiracula vitæ
Ore ſuo ſufflante tuam ſub pectoris arcem, *Geneſ. 2. 7.*
Teque ſui pura formaret imagine vultus,
Exceptum blandis, ne vita recederet, ulnis:
Hîc gremio admovit, ceu mater ad ubera portans;
Hîc paradiſiacis tua pectora roribus altor
Solicitus fovit, ſtillantia balſama vitam,
Æthere ſtructa ſacro, Cœli de limine fundens;
Conſtituitque animæ; cuicumque eſt vivere terris;
Te Dominum, ſeu Cœlum Aquilas, ſeu grandia Pontus *Sap. 9. 2.*
Cete, habeant ſeu magnanimos ſylvæ antra Leones;
Tuque Patris tantum nuper miratus amorem
Siccine blandiris ſociæ! quæ protulit Anguis
Invidus, ipſa audis, temerè ſectaris, & audes,
Quam Rex conſtituit, ſanctam contemnere legem?
Sic princeps hominum cæca caligine mentem
Abripitur, ſponſæque hæret, Genitoris amorem
Oblitus; decus omne ſui, data cœlitùs alta
Munera ſic perdit, ratio nec profuit, ulli
Ne reſeraret amor penetralia pectoris, ipſa
Uni extructa Deo (Sanctorum in ſede miniſtrans *Pſal. 12. 26.*
Diva comes operum, poſuit dum Conditor Orbem,
Æternæ dare mentis opes ſtudioſa, locarat *Prov. 8. 31.*
Hîc ſibi delicias) jam proiicit omnia demens,
Indocilis regale jugum perferre Parentis!
Flebile colloquium, coniux incauta ruinas *Gen. 3. 2.*
Intulit ipſa loquax: heu lux occumbere mentis,
Fax animæ ratio, facilis! tantùm obfuit illi
Delicium vacuo curis; tutiſſima rebus
Semita, conſilium deeras, cordiſque receſſus: *Pſal. 76. 7.*
Alliciunt heu ſæpe, oculis blandiſſima, virus
Aſt latet interminens; Adam novere nepotes.
Quid dediſcis homo, quos noſti, avertere caſus,
Qui noſti vetitum mille inter germina lignum,
Ne comedens pereas; neſcis, referre, colubrum,
Ac ſponſam ſpreviſſe, Patris ne mente recedas,

Digitized by Google

Omnia cui debes Regali credita ſumptu;
Poſthabitis, quæcumque parant avertere mentem?
Sed memoraſſe, labor perit irritus; una ſalutis
Prov.14.16. Spes timuiſſe foret caſus: inferre ruinam
Blanditiæ poterant, ubi ſponſa aſtabat, & Anguis.
Noſceret, ò utinam, ducens ab origine labem
Gens oblita hominum, quæ damna, heu maxima, Mundo
Intulerit primus cœleſti à Patre receſſus;
Quid, Patre poſthabito, mentem ſectarier Evæ.
Surrexit Mors, unà omnes raptura nepotes,
Quotquot progenies dederit lacrymabilis Adam;
Diſſidium, fera bella, fames, omniſque nocendi
Ars tenuere Orbem; periit rectique, bonique
Ingenioſus amor, Superûm jucunda propago,
Corda, animoſque trahens (immiſit Conditor alto
Pectore, cum manſura diu primordia vitæ
Poneret,humanam meditatus imagine formam
Gen. 1. 26. Interiore ſui) periere, ab origine, menti
Firma hominum, probitas, pietas, moderatio, Cœli
Semina, queis ſubigat pia Dux Sapientia, fortis
Conſilio, è latebris homini lethalibus hoſtes,
Pariter infeſtos: cæca heu radice rebellis
Germinat intus amor, qui pectore permanet imo!
Hæc hominem ſua tela petunt: æquiſſimus inſtet
Sap. 7. 26. Sed dolor: ipſe Patris puriſſima Natus imago
Unicus, æternas Virtutis deſeret arces,
Subjectuſque hominum ſorti, fera vulnera Mortis
Ad Rom. 4.25. Perferet, è Cœlo juſſus reparare ruinas,
Ne jaceat ſtygiis æternùm vincta catenis
Stirps incauta: pati quid Chriſtus debuit: illum
Compulit unus amor, ſed crimine compulit Adam.
Nondum prima Patris fecere pericula cautum
Humanum genus; omne nefas audentiùs audet,
Ne ſubeat Virtutis onus: quid amabile pondus
Tam gravat! in vetitum niti, miſerabile pondus,
Sap. 5. 7. Triſte doloris opus (norit mens conſcia recti)
Ne gravat, illectuſque dolis à limine vitæ

Atri

Atri Erebi Cæcutit homo feralibus umbris!
O utinam tandem caligo recederet; unam
Famam animo, viciſſe nefas, agnoſceret, alto
Excuſſus torpore nepos mox labilis Adam.
Quid memorant grandes hominum dilapſa triumphos
Sæcula, queis ſubigat victrix diſcordia gentes,
Hinc mortale genus nigræ ſtygis obruat unda,
Stentque trophæa truci Domino: victoria major
Haud homini ſupereſt, nullo delebilis ævo,
Aulica virtutum Regis, quâ vincere doctus
Seſe homo: tuta ſalus (quid fata) domeſticus hoſtis
Si pereat! nihilum refert ſecus, Orbe ſubacto,
Scilicet exultes; alieno ex hoſte triumphum
Victor habes; tibi deeſt de te victoria felix.
Hâc genus evehitur, frangit dum cymba procellas,
Quas timet humanum pectus; licet ipſa dehiſcant
Tartara, ſubverſo pelago, licet horridus Auſter
Disjiciat puppes, vortex ſeu torqueat undas,
Urgeat effrænisque Aquilo; ſtat pectore certans
Impavido ſibi tutus homo, munimine cautus,
Conſilioque animi, ne tramite fortè recedat
Recto, ubi ſuſceptis Adam via pervia gnatis
Permanet ipſe Deus, certi ſpes una Triumphi:
Mella triumphanti dabit ille abſcondita ſtratos *Apoc. 2. 17.*
Poſt hoſtes, inito primùm certamine, morem
Cui certum lex æqua tulit; diſcrimina Numen
Omnibus æternum poſuit, vireſque, animumque *1. ad Corinth. 10. 13.*
Addidit hiſce pares ſubeunda in bella periclis:
Munus grande nimis Deus es vincentibus ipſe;
Tu merces, tu manſuræ lux, gloria palmæ. *Geneſ. 15. 1.*
Cœli jamque patent felicia caſtra, triumphos
Exceptura hominum, quotquot victoria ſummum
Dignos ante Ducem ſtatuet; læta atria Sanctæ *Apoc. 2. 10.*
Cui patuere urbis; domita cum Morte (triumphi
Deductis elata Cruci poſt ſigna trophæis)
Electi ò Proceres, Regni hæc ad limina ſtantes,
Nec mora, ſat clauſas ævo, jam tollite portas;

Pſal.23. 10. Virtutum eſt Dominus; ſacræ indixere cohortes.
En Ducis exemplar; liceat cui ſcandere ſedes
Ad Tim. 2.5. Cœlicolûm, quem celſa manent penetralia pacis:
Erudiare nepos Adam; dant prælia palmas.
At genus interea, ſurgens de germine labis,
Stigmata fert primi Cœleſti à Patre receſſus,
Hæreat ut Morti, ſectans veſtigia terræ
Corruptæ heu nimiùm; latices guſtare beatos
Apoc.21.6. Auſugit, æterno Vitæ de fonte fluentes;
Jerem.2.13. Abruptas aſt haurit aquas, ad Tartara ductus.
Venturum è Cælo, quæ digna cubilia Verbum
Excipient terris! ſummi ò miranda Parentis,
Rerumque æternùm rectrix Sapientia; primos
Quid ni ſervaſſes Vitæ de limine greſſus
Electæ Genito ſine labe in ſæcula Matris!
Sic benedicta Deum, caſto almum germine fructum,
Pſal.84.10. Terra dedit, nec pura domus fuit hoſpita ſordis;
Et quæ prima tulit, Sanctorum à Patre recedens,
Altera, nixa Deo ſemper, damna abſtulit Eva.
Multum jamque ſcelus pollutam detinet omnem
Sontis Adæ gentem; carni, almo Rege relicto,
Hæret cæcus homo: fœda de ſtirpe parentum
Surgit fœdus amor, cives qui ſurripit aſtris,
Devinctoſque Erebi captivas ducit ad umbras:
Spiritus ipſe hominis Stygiâ pollutior aurâ
Contemerat Genitoris opus; violatur imago
Structa Deo, terraſque ingens agit horror Abyſſi;
Nec, quâ tota patet, ſupereſt, ſordeſcere Terram;
Jam circumfuſo patitur purum Æthere Cœlum,
Dum Stygis effuſus ſuperas vapor occupat arces.
Quid ſuper infeſtos latâ caligine fluctus
Gen. 1. 2. Numinis aura moram teneat; par Flamine Sancto
Sola licet triſtes Orci depellere nimbos?
Ultrices ſuccenſa arſit tum pectus in iras
Fulmine Diva potens, magnoque æquæva Tonanti:
(Præcipitem proclive diù cum fortè ſtateram
Pondus agit, retinetque imam, nec ſurgere, ſpes eſt
Lapſu,

Lapſu, ac mole gravem; mox intorquere rotatos
Dextera terribilis jaculo compellitur enſes:
Ni potuit delere ſcelus, delere nocentes
Cogitur, inficiens Orbem ne repere radix
Fortè queat, ſparſoque novos dare germine fœtus)
Ergo animo, fervenſque oculis, immotaque greſſu,
Numinis ora trahens, fata eſt: Rex ultor, & Orbi *Pſal. 93. 1.*
Formidande Deus, quæ tanta licentia ſervos
Evehit, exoſam ſobolem, Cœloque rebellem?
Ceu Stygis inferno Tellus jam fœtet hiatu;
Pronior omnis homo in vetitum eſt, auſoque nefaſto
Inſita jura homini violat: jam ſpiritus omnis
Ceu lutulenta caro; caro jam corrupta; ſceluſque *Gen. 6. 3. & 12.*
Omne agit humanum pectus: vix ſidere tuta
Lux orto, remaneatque gravi polluta vapore:
Quid patiar, ſimulacra Dei fœdarier? uni
Sit mihi fas reparare decus, Rex maxime Regum,
Omne tuum: Tellus, Cœlum, Superi, Aſtra, & Abyſſus,
Ultio ne lateat; neque enim latuere nocentes;
Quid, ſcelerum non ſumma ferens, hæc dextera poſſit,
Jam videant; diſcatque Orbis, ſi fortè ſuperſit
Orbi homo (tu noſti juſtum) cum tenditur arcus,
Formidare; fugæ nemo concedere tutæ *Pſal. 59. 6.*
Jactitet: aut moles ingens remoretur euntem,
Aut veteri torpore gravem ſua vincula perdant.
Orbibus exactis centum revolubilis anni, *Gen. 5. 32. & 7. 6.*
Sol remeat; veniæ facilis miſeratio pectus
Cum tenuit, Rex magne, tuum, veniamque ſuaſit,
Si fortè humanum cor indulgentia vertat;
Auxerit aſt ſontes meritæ cunctatio pœnæ;
Culpa vetus cumulo multos grandeſcit in annos;
Jam ruat in ſtygium fatis aucta mole barathrum:
Nec mora, veſanos ſceleris cohibere furores
Dextera noſtra poteſt: mihi jus concedere (pœnam
Poſco etenim, decus unde tuum) Rex juſte, ſuperſit;
Servandum conſtructa diù manet Arca Noemum:
Jam tandem læſo noſtrûm reparetur honori.

Dixerat; infremuitque acri Rex corda dolore
Percitus; atque inquit: qui noſtra creatus imago,
Gen. 6. 7. Pœniteat feciſſe hominem! delere repoſcor
(Nam ſcelus inſenuit, nec ſpes auferre) nocentes:
Tanta pati impellor; tibi jus commitere, Diva,
Id ſupereſt: pia Noe domus ſervetur in Arca;
Unicus hìc homini locus; hìc de ſanguine juſti,
Purgata Tellure, novus mox prodeat Orbis.
Gen. 6. 17. Proximus interea carni ſtat finis, & omnem
Pollutam Cœlum parat undâ immergere Terram:
Plurima inacceſſas, demiſſo gurgite, rupes
Vincat aqua, indictoſque Mari fas rumpere fines,
Diva urget Mentes (dedit his ſervare receſſus,
Ne ſuperæ ſcindantur aquæ, Sapientia leges
Gen. 7. 7. Principiò imponens, nitidoſque redegit in orbes,
Lux ubi libratas circumflua permeat undas)
Edicitque, vapore alto circumdare ſummum
Æthera, devictis aſtris, udâque ſoluta
Mole ingenti, omnes latè undique condere montes,
Ne collis, ne ſummus apex appareat ullus
Cœlo indignanti temeratas tangere terras
Sole ſuo, fœdis purum remeantibus Aſtrum
Effluviis (ceu ſancta manus, dum nititur ægris
Ulcera quâque die ſub ſidere tergere tabis
Immiſſo, ſanie fumante in ſidera, ſordet;
At pietatis amor ſub pectore purior ardet.)
Ergo, congeſtis tellus tumulanda ſub undis,
Vix capit æthereâ languentem lampade lucem,
Aſtraque manſuram revehunt pallentia noctem,
Jam delendi Orbis feralia lumina, factis
Sæva clade hominum Lethoque, Ereboque trophæis,
Ni ſurrecturum ventura in ſæcula, terris
Arca tueretur de Noe ſuperſtite Mundum.
Undique ſurripitur Cœlum, flans nubibus Auſter
Accelerat; tumidumque æſtu feſtinus Eoo
Nerea fert Eurus; ſtipatis nubibus aer
Montibus incumbit gravis; hinc valleſque, lacuſque.

Indiviſus habet ſumma uſque in ſidera nimbus,
Plurimaque inſiliens totum nox occupat Orbem:
Undique tartareus ſubita formidine gentes
Pallor habet, crineſque arrectos detinet horror:
Vix ſceleri impendens par deterrere ſceleſtos
Exitium eſt, dum culpa diu ſtetit hoſpita: triſtis
Naturæ vultus languet, pallentibus aſtris;
Omnia ſub tenebris; ſcinduntque infeſta tenebras
Fulgura: nigra Polo nox ardet; hiatque recedens
Eminùs inter aquas ad Cœli limen abyſſus,
Ætheris igne patens: Pelago unda evertitur, æſtu
Mox graviore tumens: urgent elementa rebellem
Nutibus irati Cœli ſæviſſima Mundum.
Plenior exudans totum abſtulit æthera nimbus,
Imaque jam Terræ facies deletur, hiatus
Paſſa graves Cœleſtis aquæ, monteſque ſuperſunt *Geneſ. 7.18.*
Confugium miſeris; ceciditque ſuperbia carnis
Indocilis vetitos auſus cohibere: nefaſte
Ignis aquis pereas: undis evecta rotatos
At Mors intorquens ictus aſſurgit, & omnes,
Quos omnis ſupremus apex exceperat, ictu
Arripit, Umbrarumque nigras detrudit in arces.
Mole aucta cædis cumulata cadavera montes,
Et nubes ſubigant, ſi fortè; minantibus Arcto
Una Euris, tumidiſque Notis; innantia vortex
Congerat, involvatque ſimul; ni proxima Cœlo
Tum juga, queis cumulo præſtat longè altior unda,
Accoleret Protei genus omne; hinc grandia Cete
Gutture hiante ferant genitis errantibus Adam
Immenſo pelago tumulum: dant Pelion, Oſſa,
Caucaſus atque ingens mutæ cunabula proli
Pro ſcopulis, reduces ubi diſſitus Indus Iberos
Proſpicit ad patrios extremo è littore fluctus:
Sic perit omnis homo, caro ſic deletur, in ævum *Gen. 7.24.*
Sordidior puro coram Genitore; peremptum
Concidit omne animans, facies dum tollitur Orbis,
Deciduo penitùs Cœlo tumulata ſub undis.

Denos

Denos jamque dies, noctes totidemque ſub udâ
Gen. 7. 12. Mole jubar regale quater Sol abdidit : iras
Quid ni ſuſtineant, Superis jaculantibus, Aſtra!
Aſt ſuper immanes fluctus evecta, ſuperſtes
Poſt Divæ ultricis conamina facta, procellis
Et Maris, & Cœli edomitis, tutiſſima Noe
Gen. 7. 18. Stat levis arca ferens; ipſum eſt pro littore Cœlum,
Terminus unde mari: rerum undique, & undique clades,
Ipſaque pollet aquis, juſtum quæ detulit; omnes
Vincit deletas effuſa per æquora rupes,
Qam regit omnipotens jactatam dextera, donec
Æthereum perſoluit iter, propiorque fit aſtris.
Tum clades miſerata Orbis, cui ſola tuendo
Præſidium Cœli ſteterat domus alta Noemi,
Prona Deum veniæ Mater veneratur, & iras
Demulcet dictis: o formidabile terris,
Et Cœlo æternum, tua ſumma potentia, Numen,
Quâ res conſtituis (nutu uno grandia promens,
Ipſaque mox delere potens, ſi juſſa repoſcant
Te tua) conſuluit magno in diſcrimine terris,
Ut mundæ maneant; purgato è ſanguine juſti
Servaſti miſerans ventura in ſecula gentes:
Germina ſi quâ iterum peccati aſſurgere (morem
Namque parens hominum primæva è labe reliquit
Gen. 8. 21. In vetitum niti, dein conſuevere nepotes)
Noveris: ipſe hominum ſcrutaris pectora; renes
Ipſi nec latuere oculos, animæque latebræ;
Geneſ. 9. 16. Mox reſcinde vias culpæ; da fœderis arcum,
Pacis opus, memoret veterem qui fontibus iram;
Spemque, metumque inter ſervet data fœdera Tellus:
Sic ſteterit juſtus Cœli devinctus amore;
Pronus at in vetitum ſteterit formidine teli.
Dixerat: affaturque iterum Sapientia Regem;
Namque aderat (nuſquam non pervigil adfuit illi,
Seu jaceret librata Polo fundamina terræ,
Seu Cœlo gyros mediis ſejungeret aſtris,
Seu tenebris lucem, quam lux Deus ipſe creavit,
Aula

Aula ubi Regalis, nec ſat penetrabilis, ævo
Scilicet omni ardent ſacros tentare receſſus
Cœlicolæ; decuit, ſemper nova promere, nulli
Comprenſum) ſtetit ante thronum, dein talia fatur.
Quandoquidem placuit tibi, Rex, decreta ſupremo
Numine; qui nondum terras, Cœlumque crearas;
Dicere, ne labem temerata è ſtirpe parentum
Duceret alma Parens Verbi; fas omne ſuaſit
Digna Deo, facinuſque Patris decora alta repoſcunt:
Servatura Noe juſtum, ſic fluctibus Arca
In mediis ſteterit, tutiſſima præſide Cœlo; *Gen. 1. 7.*
Nec ſecus unigenam Mundo paritura virago,
Juſtitiæ Solem; puro ortus lumine gentes
Qui regat æternùm, bivio deflectere cæco
Undique luce vetans; ea pacti fœderis Arca
Venturum excipiet, pacis Domus aurea, Regem;
Quam labe immunem regali nomine ſervas,
Montibus ut victis excelleat una ſuperſtes;
Da, Pater, expromptis Vatum per dicta figuris
Sic niteat, reddatque Orbi ſua grandia ſignis.
Quas ferat intus opes, tu noſti, atque aurea primi
Sors operis, quem te dederit præſente, nitorem;
Ceu lucem, propior dum Sol inſpexerit, aſtri
Quis retegat degens ſemotis incola terris?
Primi ortus momenta jubar dent ſingula, formam
Concepti purâ referens è Virgine Nati;
Tum Chriſti lux ipſa ſuæ conceſſa Parenti
Acriter ingeminet ditiſſima Numine lumen: *Job. 9. 10.*
Ipſe aderis, divæ Matris rem pectore geſtans,
Grandia qui ſuperi jubeas noteſcere Regni;
Credita quot memorent Vates: hos Spiritus ergo
Flamine magna ferens afflabit, ut abdita Mundum
Erudiant, monitæque colant myſteria gentes:
His decus aſſurgat, Triadis miranda potentis;
Quos plura haud lateant; dabis ipſe abſcondita; ſoli *Paul ad Epheſ. 3. 90.*
Plura aderunt arcana tibi, quæ pectore ſervas; *Eccleſ. 43. 36.*
Quæque loqui liceat, tua Vatum oracula proment. *Amoſ. 3. 7.*

Æter-

Æternum, rerumque potens, multùmque recedens
Majeſtate ſui, quâ Cœli excelſa paravit,
Agnita quid Mundo, deceat, ſua prodere Numen?
Magna parens divæ Genitricis, & aurea ſancto
Sit cordis fulgore, aureis & clara figuris;
Multiplicis virtutis opes decus exerat unum:
Orbis opus Cœli mirabitur; ipſa metallum
At purgata ſatis, quo Sole inſpectior, auri
Terra dabit: ſit lecta parens, latura parentem
Intactam Chriſti; tum mira exordia præſtet,
Ævi poſt annos (arenti lampade vitæ
Deciduæ Patris) primo quaſi germine florem,
S. Epiphan. l. adversùs Collyrianoſ. Cœlite Vate rei, ſterili dare ventre puellam,
Numinis electam Matrem: venerabile terris,
Et Cœlo, dignumque Deo; cui ſumma poteſtas;
Unum opus erudiat, Superûm quæ plurima Regis.
Nec ſecus, è Patrum polluto Sanguine proles
Exiliens donata jubar, niveumque decorem;
Filia, Regis amor, ſontis de ſemine ſervi:
2. Machab. 7. 8. Sic humili ex nihilo moles pulcerrima rerum,
Eccleſ. 11. 40. Omnipotens dicent ea cuncta latentia Numen.
Job. 9. 10. Ipſa tuæ videant dextræ miracula gentes;
Multas cujus opes ſi moles ardua Mundi
Eccleſ. 43. 36. Hactenus expromſit, majora abſcondita ſæclis,
Rex, agis; atque aderunt ſpectacula pacis ab uno
Te, Pater, electis ſuperæ quot civibus aulæ:
Tu lux, exorienſque tuo de Lumine Lumen,
Gaudiaque infundens nova ſemper, at omnibus una
Majeſtas Triadis (nitido ceu fonte, perennant,
Quæque ſcatent, labuntur aquæ: diſcrimine nullo,
Quale jubar Solis, forma eſt, ſimiliſque figura;
Lympha ſed exiliens fluit, ac variatur, & orto
Pura novo ſemper ſcintillat lumine dives.)
Ergo electa parens, optatæ nuntia pacis,
Enixura Deûm, mediatrix fœdere, Cœlum
Iſa. 7. 14. Mite homini faciat, fueritque ex Virgine ſignum;
Cum Judæ ex genitis; queis addita gloria belli;

For-

Formidata diu mulcebitur ira Leonis :
Tum factis Cœlo bellatrix Virgo trophæis
Emineat, domitæque Stygis pede conterat arcum : *Luc. 1. 51.*
En ſignum illatæ, nunquam delebile, cladis,
Famaque Cœlicolûm Lethæo ex hoſte triumphus.
Qui pacem das ipſe, fugans incendia belli;
Quin & bella jubes primordia ponere pacis;
Scilicet arma ſilent, exciti tela furoris,
Fac, timeat ſibi cautus homo; fac neſcius iræ
Ipſe, diu vetitam, manſuro fœdere pacem
Spemque, metumque hominum Superis ſervare, ſceluſque,
Pœnas dum memorent olim ſpectacula Cœli, *Geneſ. 9. 13.*
Diſpereat terris, terror ſit cura ſceleſtis,
Et fugiant arcus faciem; formido ſalutem,
Cordibus una hærens, dederit: ſua crimina, cautum
Caſibus, erudiant ventura in ſæcula Mundum.
Strato Erebo, primis ſic fulgeat alma triumphis,
Te duce, Virgo Parens: ei lux delegerit ortus,
Unigenâ ſignante viam de luminis aula;
Cui decus ipſa ſuæ ſpecies conceſſa Parenti.
Nox ubi per tenebras lecta ardent ſidera, puram
Auroram attulerit, nitidumque ea candida Solem:
Sic orta è claro Proavûm det ſanguine Mater
De Joachim ſobolem (genitum qua Virgine Numen)
Illi grande decus celebrandis dotibus auge,
Queis præſtet genitrix, Chriſti latura parentem,
Ut decet, & magni poſcunt decora alta nepotis.
Talia dum fatur, ſummus Pater annuit: Aſtrum,
Subdidit illa, dabit, quo concipiare, Virago,
Clarius orta dies; tum demùm plena decoris
Prodi, electa Patris, venerabilis aula, ſupremum
Exceptura Ducem, veniet qui fœdera pacis
Ferre homini poſt facta diu molimina belli:
Aula, domuſque auri tota undique fulſeris auro;
Tecta, ſolum, paries pura auri luce niteſcent; *3. Reg. 6. 22.*
Ipſaque te dederit, prædives origo metallo,
Terra ferax auri: dabit aurea munera Cœli,

Digitized by Google

Diteſcens pleno virtutum grandibus ævo
Anna opibus, decus omne Patrum; felicia ſanctum
Sæcula Davidico capient è ſtipite germen,
Progenitore Abram, Proavûmque retexerit auctas
In ſe Mater opes, quas Natæ congerat omnes.
Aſt amor omnipotens (cui mos haurire perennes,
Apoc. 21. Fons ubi mittit aquas, Vitæ ipſo è corde fluentes;
Pectoris alta fluunt, arcanaque Fontis origo
Surgit in æternum, quem ſervat imagine, Rivum;
Spiritus hiſce oriens & Rivi, & Fontis utrumque
Flamine complet opus, ſaliente in ſæcula fluctu:
Gratia, vita, decor, Deus ipſe è gurgite manant)
Quantus in auguſtam congeſſerit omnia molem,
Omnibus ut niteas, toto ſpectanda decore,
Integra Virgo parens, virtute afflante ſupremâ,
Donec adaucta ſibi, ſurgas in nobile templum,
Detque incorrupto laquearia ſtipite Cedrus;
Eccl. 18. 3. Quis poterit teſtata Deum, mirandaque fari!
Auro cuncta micent; at purior ignis amoris,
Æternùmque flagrans, quid lucis contulit auro?
(Grandia ſi qua Patris promit Sapientia Mundo,
2. Reg. 23. 2. Spiritus altiloquos virtutis Numine Vates
Ipſe facit: riguo Vitæ de fonte fluentes
Quiſquis aquas haurit; quas Spiritus obvius ambit,
Omnia tranſiliens, unde exit origine Rivus;
Vivificum ſic voce ferunt præcordia verbum)
Ergo, ait, aſſurgant Proavi, ſacriſque Tiaris
Inſignes præſtent magna in diſcrimina rerum,
Progenies dilecta Deo, de ſanguine Judæ:
Hâc primogenitos venerentur ſæcula fortes,
Conſilioque animi, belloque, & pace potentes;
His datur æternæ magnalia promere dextræ:
Joſue 6. 20. Expugnatæ urbes, formidatique gigantes
Judic. 4. 21. & 14. 6. Edomiti, forteſque Duces, ſævique Leones,
1. Regum 17. Voce tubæ, imbellique manu, aut puerilibus armis,
36. & 50. Sint Judæ, proavique Abram præconia ſtirpis,
Judith. 13. 10. Nullo haud ævo hominum congeſtis aucta tropheis:

Digitized by Google

Hinc Regale genus ducas, fœcunda Virago
Prole Dei, primo Victrix auguſta triumpho.
Cœlitùs ergo ferant perflati pectora Vates *Amos 3. 7.*
Omnipotentis opus dextræ, velamine tecta
Aſt niteant Cœli myſteria gentibus: omnis
Hinc ætas, cœtuſque hominum meditabitur; altis
Mens namque arcanis inhians; miranda, latentis *1. Ad Tim. 6. 16.*
Luce coruſca Dei, ſi fas, rimarier (inter
Parciùs intextas nubes Phæbæja lampas
Nec micat abſimilis, pallentes tegmine opaco
At lucis clauduntur opes) noſtrûmque ſophorum;
Queis labor aut conſtans, aut ſumma ſuaſerit ætas
Explorare ſacros, ubi ſunt Patris abdita, fines;
Scilicet involuent tenebris oracula Vates;
Luceat è bivio felix ſententia menti:
Hi noſtras coluere fores, ad limina paſsi
Stare diu vigiles; fas omne popoſcerat, illis
Ut domus interior, ſancti pateantque receſſus.
Aſt jubar, ipſa beans quo Lux tegit omnia circum,
Cui penetrare datum? jam mens humana latentes
Et tenebris, & luce vias ſcrutabitur, impar
Vincere iter vetitum, donec ſemotus ab arce
Hac ſuperâ cunctetur homo (ceu ſidera; puro
Æthere per ſummam rutilent licet aurea noctem;
Vallibus exurgens caligo altiſſima texit,
Dum rapit obductum nebula undique, & undique Cœlum,
Quis ſatis æthereos oculis perlegerit ignes,
Quis nitor ex Aſtris terræ altas vicerit umbras?)
En tumidas pax inter aquas; en inſula Palmæ,
Quæ ſteterit ſtygios inter tutiſſima fluctus,
Illudens nimbos, undarumque atteret æſtum.
Conterit una Anguem (nec jam ſurrexeris Anguis)
Virgo infans, humilis; perit elatiſſima cervix
Fœmineâ, imbellique manu: confregerit arcus
Una potens domitrix, Cœlo pugnante; quid ultra
Inſidiis; Victrix abiit, calcanea tentas? *Gen. 3. 15.*
Semina peccati tua ſint (è viſcere Natum

Virgineo purum labis profuderit Orbj
Forma decora Patris, ſignans ab origine Sanctum;
Dilectam Geniti nec fas vileſcere Matrem;
Quam Rex elegit Pater ipſe à limine rerum)
Decidat ac tabo plenum ſub ſtipite germen,
Ne tangat lethale fluens cunabula virus,
Pignus ubi electum Vitæ nutritur in aula:
Cant. 5. 2. Regis ibi eſt adytum: ſoror illius ubere matris
An pia lethiferum lac ſuges, Virgo, parenſque,
Cant. 4. 10. Ubere dans Cœli latices? En lucis amictu
Abſque hominum tunica; veteris quam neſcia labis
Indueres nunquam; ſpecioſa inſurgis ab ortu
Unigenæ ditata jubar: de rupe fluenti
Cant. 5. 3. Protinus alba pedes graderis; comes unica Patris,
Proxima cui ſteteras, jaceret cum ſemina rerum,
Haud dubio ſequeris, ſervans veſtigia, greſſu;
Quid cœnoſa viæ tibi ſemita? deligit hortum
Cant. 4. 12. Te ſibi concluſum Rex; liminis atria ſancti
Num Regno inviſus rimarier audeat Anguis?
Cant. 6. 8. Una electa tuæ genitricis, purior inter
Dilectas Matrum, quàm pulchra incedis, & ornant
Calceamenta pedem, ſine compede, filia Regis!
Forma tibi, propiore Deo, data permanet; atris
Aſſecla ceu Solis, graderis quàm diſſita ab umbris;
Teque olim rapuiſſe, cadit ſpes cœca Colubri,
Apoc. 12. 14. Nactam iter ad ſuperas pennis velocibus auras.
Spiritus erudiens animum prudentia (Vati
Prov. 9. 10. Nempe fides ſolymo) regat ipſa ſcientia Sanctos;
Trames ei medius: tenebris deflectit utrinque
Lubrica namque hominis primo via crimine Patrum:
Aſt oritura Patris; radiant quo lumine Mentes,
Unica lux, Vitæ ſignans veſtigia, Chriſtus,
Apoc. 13. 8. Principiò oblatus, mox ipſa ab origine Mundi
Tutatur Matrem, puros cui præripit ortus
Vi manus omnipotens procul atro à cardine Mortis;
Quid locus inſidiis, ater ſi ſtruxerit hoſtis?
Fulgeat ergo ſuis ſpectabilis undique palmis,

Quas

Quas Geniti largitur opus : ſit gloria Palmæ
Surgere recta Deo , non pondere preſſa ; ſed Aſtrum ,
Numine cuncta fovens , mirabile germen obumbret :
Sic folia aſſurgant Cœlo , ſic ſtipite recto
Montibus è ſanctis ſurgat lectiſſima radix .
Urbs electa Deo , tua ſint fundamina Stellæ ;
Te circum ſint Solis opes , ubi ponere ſedem
Luminis in medio venturum Lucis ab arce
Jam deceat Regem : palleſcant ſidera , lumen
Dum vehit æternum nova lux : agnoverit Orbis
Illius egreſſum , qui contegit omnia circum
Lumine , cum tenebræ pereant , quò ſemita Solis
Fulgida inoccidui ſine nimbo expleverit orbem .
Si qua fores Patrum obſcurans appareat umbra ,
Mox , ut pulchra Deo maneas , è limine patris
Longè aberis Virgo ; propiùſque inſpexerit ortum
Luce tuum ; præeunte die de luminis aula ;
Sol à Principio : necdum execrabilis Orci
Progenitæ lucem valeant apprendere Cœli *Prov. 8. 24.*
Primæ Orbis tenebræ ; fueritque à Sole receſſus
Luminis ignotus Matri , quo gaudia gentes
Plena dabunt , tenebris ſummâ de nocte fugatis . *2. Reg. 23. 4. Luc. 2. 9.*
En fax æternæ Lucis ; puriſſimus exit
Candor aquis , vitæ quas almus Spiritus ambit ; *Pſal. 35. 10.*
Exitus unde patens electis fontibus , undas
Vivificas Mundo Patris de pectore fundit .
Hîc ſitiens ſaturetur homo ; decor omnis amoris *Apoc. 21. 6.*
En hominum genitis : hîc fluminis impetus omnem , *Pſal. 45. 5.*
Vitæ ex fonte fluens , Sanctorum Principis urbem
Exhilaret ; nigræque Stygis fœda unda recedat .
Pectoris in latebris , ubi cor , ubi limina vitæ ,
Manſerit , illimem ſervans ab origine fontem *Pſal. 45. 6.*
Spiritus hic Vitæ ; donec venturus ab alto
Juſtitiæ Sol ante ſuum proſpexerit ortum :
Luminis ut Matrem ſuperum jubar occupet , Aſtrum *Pſalm. 45. 6. Adjuvabit eam Deus mane diluculò .*
Altiùs attulerit primordia candida lucis ,
Pura eadem , per quæ propiùs reſpecta niteſcat ;

Ipſa-

Cant. 6. 9. Ipſaque de thalamo ſurgens Aurora fugabit,
Ceu lux egrediens, Solem paritura, tenebras.
Job 3. Sic nox, quâ totâ pallens involuitur Orbis,
Luminis æterni ventura Matre recedat;
Umbræ nec mortis fas limina tangere, Sancto
Sanctorum ſummi ſtudio conſtructa Parentis.
Filius ergo ſuus, plena oris luce coruſcus,
Non aderit nuſquam Matri, quo lumine pleno
Cant. 4. 7. Tota decora micet, conceſſaque gratia vultus
Sit Nato ſimilis, quem Rex in imagine pura
Noverit exultans; Geniti dignabitur illam
Cant. 7. 6. Deliciis; ſalve, dicent, cariſſima noſtrûm;
Erudientque hominum genitos venerarier oris
Divinam ſpeciem: factum nil pulchrius unquam
Sæcula fortè dabunt, aut demirabitur Orbis.
Succendère ſacram regali in pectore flammam,
Queis nituit, dotes, inter ſanctiſſima Regi
Atria facta comes; aderant nec ſæcula, geſtit
Deduxiſſe dies felici pacis in aula:
Hîc vigil obſequio aſtiterat, veſtigia ſectans
Unigenæ propior, dum conderet omnia nutu;
Quidque oculos traheret Gnati, quæ compta decerent,
Prov. 8. 30. Omnia componens; illi candoris amictum,
Quem daret, humanæ præbens ſub imagine formæ
Sap. 7. 26. Se ſpeculum ſine labe Deo, quo cernere factum
Seſe hominem valeat fœcunda ex Virgine Verbum,
Virgineumque animæ procul omni ſorde pudorem
In Patre ſervatum Matri, quam mente repoſtam
Muniit in ſtygias æterna luce tenebras.
Præſidium fert terra Deo; cum venerit arce
E ſuperâ, dederit Virgo inviolata cubile:
Illi virgineum decorent ſua lilia pectus;
Virginei nec cordis honos marceſcat ab Anguis
Apoc. 12. 9. Spumâ tabifici, totum quâ polluit Orbem.
En decus Unigenæ Matris decor omnis; amori
En merces æquæva: juvat memorare dolores,
Quos amor infligat Crucis alto ex arbore; Cœli

Digitized by Google

Obſtupeant, quàm mirus amor: ſpecioſa parentis
Compulit hunc facies profuſo ſanguine fratres
Solvere captivos; placet execrata cruento *Apoc. 5. 9.*
Pectore nata Erebi, cœcum penetrare ſub antrum,
Mox ſpoliato Orco ſpoliis; ubi, cardine fracto,
Alliciens lacrymas, quas effugientia ſenſum *Iſa. 12. 3.*
Gaudia corde dabunt, omnes educet, in aſtra
Excipiens comites, capitolia facta triumphis.
Omnibus ipſa Ducis dederit victoria palmas; *Apoc. 12. 11.*
Palmaque tam multis fueris, fœcunda Virago;
Ex te namque Agnus ſuſcepta carne, decorem
Induet, ac vires: ex Agni ſanguine nactos
Germina Virtutis (præcox à limine Mundi
Victima, qui magno fit, ſponte oblata Parenti)
Hos ipſa erudies in fortia geſta; Duciſque
Gloria, robur eris: non inclinaberis unquam,
Grandior aucta, gigas donec venturus ab alto
Hærebit ramis, nimio devinctus amore:
Jam firma radice potens, hinc vertice ſurgis,
Æternùmque manes: forma eſt mirabilis illi,
Ac tua perſimilis; florens attingere culmen
Geſtit, ut electos vitæ ſibi prendere fructus, *Cantic. 7. 8.*
Viribus & pollens audere in prælia poſſit:
Tantum fert ſpecimen decoris fortiſſima radix.
En in delicias Regi, qui clauditur hortus; *Cant. 4. 12.*
Rore fovet Cœlum, Divina Spiritus aurâ
Afflat, inociduo genitæ ſub ſidere ſtirpes
Hinc ſurgunt; Germen ſuperas grandeſcit in arces,
Indocile everti: vallant poma omnia portas
Tum nova, tum vetera; hîc Victrix eliminat Anguem; *Cant. 7. 13.*
Factaque de Patribus pereat ſua fama triumphi.
Ergo, qui ſummâ prodis de mente Parentis,
Hanc apprende manu, duc in tutaminis arcem; *Cant. 8. 2.*
Illic ſtructa piæ latitat domus ardua matris,
Conſilium cui pacis amor, rectique voluptas, *1. Ad Cor. 15. 10.*
Quâ genitos hominum compellit ad ardua fortes, Gratia Dei mecum.
Altrix, atque comes manſura æquæva beatis: *Ad Rom. 6. 23.*

Il-

Digitized by Google

Cantic. 2.10. Illic incolumis degat; gradieris in ipſa
Atria mox illi propior; gradietur in Orbem
Plena decore tui, modo ſancta in ſede quieſcat.
Interea Solymæ ſervate ſilentia gnatæ;
Rex matri dux ipſe ſuæ, cum ſurgere Mundo
Æquum erit: haud ulli notum, cunabula ducat
Apoc. 12. 6. Deſertum per iter gradiens; comitetur euntem
Filius aſt Matrem, Stygias eludat ut artes.
Inter delicias Superûm, quas ipſe paravit
Unigenæ poſt bella Deus (cum ſcanderit aſtra
Pſal. 106.14. Victor, ab hoſte redux; Atavis qui fraude catenam
Struxerat infragilem) pacis regnabit in aula,
In qua, ceu Genitæ ſolium Pater ipſe locabit,
Præreptæ nutu, mortis ne læderet umbra.
Fortè nec, antra tenens ſtygis horrida, noverit Anguis
Conſilium Cœli, neque ei ſcrutabile robur,
Joan. epiſt. 1. *c.* 1. 5. Quem lucis latuere viæ; Regum auſpice Rege,
Cum pacis compleret opus, primordia vitæ
Sortitur Regina Parens, teſtata triumphos,
Qui poſtrema Ducem venturum inferre Satanæ
Prælia, Victricis traherent de ventre puellæ.
Ex quo facta, Dei fert numine præmia belli;
Judith. 16. 31. Filius eſt illi bellator, & una triumphi
Pſal. 65. 16. Palma, gemella datur per quem victoria Matri.
Pſal. 44. 10. An Regis dilecta graves ſubiiſſe catenas
Ipſa poteſt (quæ pœna Patrum) ſub vindicis ira
Numinis excito Cœlo? quin captus amore
Rex Pater, æterno ſervatam pectore, labis
Dimiſit puram Sanctorum à limine Regni;
Alma ubi venturum, quæ claudent viſcera Numen,
Gratia tota beat; Vitæ puriſſimus humor
Ipſa replet, ſalienſque fovet de pectore Patris
Pſal. 35. 10. Spiritus; hîc Rivus, ſurgens ab origine Vitæ,
Iſa. 12. 3. Vivificas effundit aquas: Fons ergo Salutis
Cant. 4. 15. Hinc oritur; ſitiens quicumque acceſſerit, undâ
Apoc. 22. 17. Promanante, bibat; virus levat illa, lutoque
Eccl. 24. 41. Purgat, queis natos hominum blandiſſima Siren

Al-

Alliciens ſcelèraſ, perimitque infræna voluptas.
Ipſa electa Deo, Divini dote decoris
Sic niteat Mater; virtutum clarior omni
Diteſcens pompâ, ſummi de corde Parentis
Munifico ſibi promat opes: ævum anteit omne *Prov. 8. 23.*
Hic Verbo ſervata Parens: ab origine ſanctam
Divæ acies norint, Triadiſque ſacratior aula,
Ex quo conſurgens ætas antiqua dierum
Cœpit in æternos ſe circumvoluere gyros.
Progenies tandem ſurgas Davidica, terris *Apoc. 22. 16.*
Effundes Mundi, genitam de virgine, Lucem,
Pectore cum forti pollens appareat Orbi
Ex te Regales inter pulcerrima natas. *Prov. 31. 25.*
Pallent ore nives; fuſco eſt rubicunda; renidet
Decolor arte color; propior lux flammea Solis *Cant. 1. 6.*
Colla, genaſque ardens auro, pinxitque pyropo,
Nec domus hîc tenebris; Cœli jubar omnia prompſit;
Omnia lucis opus: dum flamma flagrantior ardet,
Undique thuris odor, melioraque aromata fumant, *Cant. 4. 11.*
Cedrus ubi è Libano radice eliminat Anguem.
Nardus odora Deo, laquearia, tectaque replens, *Cant. 1. 2.*
Purior è terris ſuccenditur hoſtia Cœlo:
Arentique fluunt de ligno balſama vitæ; *Eccl. 24. 21.*
Namque decora viret carioſâ è ſtirpe virago.
Luminis æternas, ubi lux tegit omnia, ſedes *Ezech. 17. 24.*
Ante omnes penetrare datum tibi, Pura; receſſus,
Dextera quos nondum detexerat ipſa creatrix,
Noveris una comes operum; Proceresque potentes, *Prov. 8. 30.*
Limina qui ſervant magnæ admirabilis aulæ,
Ora verenda ſuis velantes Regia pennis, *Iſai. 6. 2.*
Te recolent, Regina potens, vetita atria Patris
Cui primùm patuere: urget nimiùm obvia ſummo *Eſther 15. 14.*
Numine Majeſtas; dominatrix dextera Nati
Quid ni detineat, Regnique inſignibus, auri
Regali electam decoret velamine Matrem? *Pſal. 44. 10.*
Hiſce probetur amor, Geniti quo plena decore
A dextris Mater Regi ſtet proxima Regum.

Hæc tibi, firma Sion, ſupremo ſtructa Parentis
Numine (confugium Sancto, quum venerit aſtris,
Unigenæ, domus una Dei, domus aurea pacis,
Iſa. 7. 14. Enixura, gravis Divino Flamine, virgo)
Quem dabis, ipſe tuus Formator, & ipſe Redemptor
Omnipotens dederit; faciens Deus omnia ſolus;
Apoc. 13. 8. Dux bello, ut vincas, ante Orbem pura litatus
Victima, propitians Patrem, tutaminis auctor,
Lucis Gnata, tuos Sanctorum lumine greſſus
Ipſe regens, conceſſa ſuæ magnalia Matri
Luc. 1. 49. Deteget, omnipotens Bonitas, quæ fecerit uni
Electæ genitas inter, quam criminis Adam
Immunem voluit, ſapientiùs abdita promens,
Dum ſatis erudiant humilem myſteria Mundum.
Sæcula nec primò circumſcribentia tempus,
Fortè aderant; decoriſque ſui tum providus, omne
Geſtiit ante ævum Dominus fulgeſcere Templum,
Majeſtate novum, quò ſiſteret incola terris.
Ejus in aſpectu, ſicut Sol omnia luſtrans;
Pſal. 88.38. Juſtitiæ ſic Sole manens perfectio Lunæ.
Auguſt. ſerm. de Aſſumpt. Virg. Vermibus, & cineri liceat concedere corpus,
Si fas, virgineum Matris; quid ſorde parentum
Contemerari animam, Chriſto regale cubile?
Haud leve vitales deſpectâ avertere vultus
Matre Deum, haud pœna eſt, tenebroſa æqualis abyſſo.
Nobile conſilium Patris, de luminis aula,
Pſal. 109.3. Ante dies genitum, duxiſſe in ſæcula Natum,
Cui domus æterno pateat radiata decore,
Fecerit atque parem Regum Sapientia Regi.
Virtutis momenta fluunt, at permanet ævo
Perpetuo merces, librataque pondus adæquat:
Quid procul in tenebris Geniti ſine luce jaceret,
Prov. 8. 29. Quæ Patris antiquos meruit lenire labores,
Cum jaceret, ſtructo Cœlo, fundamina Terræ?
Fortior en Jacob factus, dum lumine dives,
Purior eois Aurora enaverit undis,
Optatum latura diem; victiſque procellis,

Digitized by Google

Lux oriens, tenebris obductum, recreet Orbem;
Magnanimos tum fortè Atavos ſortita Virago,
Auſpiciis Patrum majores ipſa triumphos
Ante diem referat, ſummâ cum nocte fugatis
Hoſtibus, ac domiti tota caligine Lethi:
Detineatque Deum victor certamine Jacob, *Geneſ. 32. 28. & c. 26.*
Victricem referens Auroræ lumine Neptim.
Quid poterit princeps Erebi, dum vincere Virgo
Erudietur Avis deductum Numen ab aſtris,
Subjectumque ſibi genitrix invicta Leonem
Ad nova bella vocans electo è Sanguine Judæ?
Confugii mons pura Parens, ac Turris aſylli,
Mille ubi propendent Clypei, te quærat, ab arce *Cant. 4. 4.*
Compulſus ſupera, Deus ipſe expoſcere pacem.
E radice Patrum veniens, exemit ab ira
Ultrici, Regis Genito ſolvente catenas,
Nata Patres; placuitque manens in origine formæ.
En Domini miſerantis amor; pro munere Cœli
Fortè rependat homo poſt ſanctos pectoris æſtus
Humana virtute vices, ni victima Patri *Ad Tit. 3. 5.*
Stet Deus ipſe puer, feliciaque omnia belli
Victricis capiat generoſo è viſcere Matris? *1. Ad Cor. 15. 57.*
Jam terat antiquus metuenda per otia ſerpens
Inter delicias blando ſermone parentes *Gen. 3. 4.*
Progenitorum hominum; ſtygiæ queis colla catenæ
Detinuere; comes operum nam facta Virago
(Omnia cum nixus valido tractare lacerto
Rerum opifex, Orbis jaceret fundamina, dignum
Numine nactus opus, Nihilique eduxit ab alvo)
Ipſa Erebi immites auſus eluſit, & artes
Abſtulit, immenſo Regis ſociata labori,
Omnia componens, quæcumque efferre creatrix *Prov. 8. 30.*
Dextera cuncta potens, removens à luce tenebras
Cœperat, artifici ſejungens utraque nutu. *Gen. 1. 4.*
Nec regalis honos, comitem ſibi ferre catenas
Pertulit; una Deo Sanctorum in ſede miniſtrans
Quam procul inviſo Colubri ſeceſſit ab antro,

Quæ ſtygis horrentes oriens eliminet umbras ,
Luminis ipſa Parens : implenda oracula Cœlum ,
Commonito tum Vate , dabit : Lux aurea Mundo
Allatura Patris Genitum de Lumine Lumen ,
Ipſa ferat veteri finem leſtiſſima nocti :
His ortæ in tenebris pallent ſine lumine Stellæ ,
Effuſa rapiente jubar caligine Lethi ;
Irrita ſed pereat venturo accedere Soli
Spes Erebi , maneatque Stygis tumulata ſub antro ,
Tangere dum Cœli lucem , ſurgentis & ortum
S. Thom. in 3. Nititur Auroræ : ſurgat ditiſſima lucis ,
Job. 9. art. 2. ad 2. Dum vehit ipſa diem , ſignans à lumine greſſus ,
Clarior aucta , novus dum Sol appareat Orbi ,
Ante dies Cœli pleno candore coruſcans.
Inter Sanctorum tenuit qui lumina ſedem ,
Joan. c. 1. Cum Patre Principium , ſancta mittendus ab arce
3. Reg. 6. 8. Purum labis opus , de Cedro condidit ædes ,
Aula ubi facta ſibi , venturo Numine digna .
Uni omnem decoris ſpeciem meditatus , ab ævo
Quam gerat ipſa ſuo , tota virtute laboris
Auxit , mirando qui ſæcula numine complet ;
Ipſe præit, vetitaſque Erebi procul occupat umbras ,
Donec vaneſcant ſtygii ſimulacra vaporis ;
Pſal. 92. 5. Æternumque ſuæ Domui lux ipſe nitorem
Servat ; opus rutili lapidis fundamina ſurgunt ,
Aureus & veſtit muros , & limina torques ;
Undique lucis opes referunt penetralia : purum
Semita ſic aurum fert luminis aurea Soli .
Pſal. 45. 6. Me tua præveniens propior miſeratio lapſu ,
Pſal. 17. 40. Mi Deus , eripuit , ne fortè ſuperbiat hoſtis ,
Luc. 1. 51. Ante meum ſqualere genu ; dum limina Mundi ,
Pſal. 9. 6. Te duce , te comite ingredior ; vinctamque catenis
Deduxiſſe tuam mortis de limine Matrem ,
Ater ubi hærentem radicibus inficit Orbem ,
Sub ditione tenens genitas de carcere gentes ,
Colla premente jugo : vigilans ad liminis umbram
Solicitum te poſcit amor , dum protinus ortus
Ex-

Excipis ipſe meos, ſervans in ſæcula vitam.
Plura arçana ſuæ Patris Sapientia mentis
Protulit; at moniti ſervant oracula Vates.
Interea Joachim ſancto pia fœdere coniux
Duxerat optatos Cœlo, decorata ſupernis;
Longanimis, patiens, humilis, virtutibus annos;
Nec ſteriles implere dies, abeunte juventâ,
Jam profugâ, tulerat mens ægrè; Numinis alto
Conſilio ſubjecta, decus compleverat ævi:
Scilicet, haud Cœli promiſſis affore dignos,
Connubio ſteriles Abram de ſtirpe nepotes,
Fatidico princeps indiceret ore Sacerdos:
Hinc Jeſſe ſacro maledictam è ſtipite prolem
Opprobrium Solymæ, Cœlo indignante, relictam
Terræ Annam; mærorque viri de corde perennes
Alliceret lacrymas: at tu, mitiſſime Regum
Rex, faveas, luctuſque adimas; ſteriliſque tot annos,
Numen adeſſe probans, Cœlo ferat auſpice terris
Magnanimam ſobolem, naſcenti in tempore Verbo,
Sæcula non aderant, dilecto nomine Matrem.
His tamen æternum, cui mens æquiſſima, Numen,
Grandia virtutum Mundo ſpectacula, gentem
Comprobat electam: munito ea pectore bellum
Suſtinet, atque armis, ac ſanguine Jura verenda
Et Cœlo, & Patriæ, ſi facta aſperrima poſcant;
At decus his meritæ tum frondet amabile pacis,
Cum vetito innixum domuit pugna ardua pectus:
Bella hæc ſunt animis, gemma queis pulchrior omni
Lux oritur, tanti nunquam peritura triumphi,
Forma beans Mundum; neque enim victoria major,
Quâ ruit, illecebris perimens, acerrimus hoſtis:
Otia lethiferam, norunt, progignere pacem;
Hiſce adimi æternas redolentia germina palmas;
Nilque magis coluere (licet mirabile præſtet
Dextera fortis opus, poſcunt dum prælia Martem)
Progeniti Judæ delecta è ſtirpe nepotes;
Magnanimum virtute genus; qui laude perennant. 1. *Reg*. 23. 17.

Sic

Geneſ.49.10. Sic gens (cui ſummos ævi conceſſit honores
Rex Superûm) claro Solymæ de ſanguine, Sanctum
Allaturæ Orbi generoſo è viſcere fructum
Matth.1.6. Par fuit, ipſa daret divæ incunabula Matri :
Hinc radix electa Deo, quam germine ſacram;
Eccleſ.24.6. Plena ubi Sanctorum nitet admirabilis aula;
Detinuit Pater omnipotens in mente repoſtam,
Pura ſuæ dabitur, maneatque in ventre, Parenti.
At placeat longos fletus, animæque labores
Munifica delere manu : ſit numine Cœli,
Cum lapſæ, ſterilisque perit decus omne juventæ,
Anno viro fœcunda ſuo : patientia fortis
Pro merita teneat cordis mercede ſupremum
Ipſa decus ventris, ſperandaque gaudia Matrum.
Quàm procul atra horrens culpæ ſeceſſit abyſſus
Pectore, cui propior Deus ipſe illuxit ab ortu :
Cant.6 9. Luminis Auroram pignus mirabile dicent,
Conceſſam ſterili, Divino munere gnatam;
(Aduentante die, quid pulchrius emicat Orbe ?)
Ut Phæbe nitidam, quæ luce eliminat umbras;
Ceu Sol electam, quo nil illuſtrius ardet.
Luc.1.28. Tum monitus Gabriel : ſalve ò puriſſima labis,
Plena Deo (Deus ipſe puer te lumine Patris,
Fabitur, atque ſuæ decoravit imagine formæ)
Divinos ſpecioſa oculos ab origine reples.
Hæc afflante dabunt æterni Flaminis aura,
De Joachim Genitæ ſancti præconia Vates.
Glòria jamque viri, Jeſſei ſanguinis, Anna
Poſt ſteriles fructum gravis ævi concipit annos,
Suſceptamque gerit pacis ſub ſidere prolem;
Atque ubi ſpes animo jamdudum humana receſſit,
Adfuit Omnipotens afflictis numine rebus :
Ipſe eſt Virgineo dans ligna vireſcere ſponſo,
Lilia queis florent, ſervato inſigne pudori
Iſa.7.14. Virginis intactæ matris : Divina loquuntur
Pſal.71.18. Facta, præeſſe Deum : Cœli miſerantis amorem,
Conceſſa emeriti fruituri prole, parentes
Dixe, æternæ dantes præconia laudis. LI-

LIBER TERTIUS.

FOrtunata dies aderat, ſanctaſque phalanges
Spirituum patefacta dabant ſuperi atria Cœli;
Sidereumque jubar ſummo attigit Æthere Terras,
Completique dies, Annæ cum Matris in alvo
Sacratum fœtum, Divini Patris ab ore
Spiritus egrediens, vitali ſuſcitet aurâ.
Jamque tenet vigiles curarum maxima Mentes,
Queis Orbis geritur; ditiſſima luminis auro *Iob.9.13.*
Tota ſit æthereo, Regalem ſemita Matris
Exceptura animam, plenus quam lumine Patris
Filius æterna ſtruxit ſibi lucis in aula. *Prov.9.1.*
Solicita in Matris decus inſtant juſſa potentis
Unigenæ Regis (cui jus Patris omne) nec hoſti *Ad hebr. 1.2.*
Cognita tartareo: ni fortè patentia Regni
Limina inoccidui, pompas teſtata triumphi,
Infernos revocent, nova ubi ſpectacula, manes,
Olim deſertas oculos convertere in arces: *Apoc.12.8.*
At ſtygis horrenda livens caligine pectus
Acrior ignis adhuc immani torqueat æſtu,
Illinc inflictæ memorare pericula cladis, *Apoc.12.9.*
Facta ſibi, ac tumida attritos de mente labores.
Ergo adſunt Cœli Proceres, quò, numine juſſi
Arcano Regis Regum, convertere greſſus,
Cunctari indociles, ſit fas; jurataque primum
Fœdera ſervantes poſt prælium, ab illius ore
Pendere intenti, noctesque, dieſque fatigant,
Præpetibus jaculis, celerique volucrius aura *Ad hebr. 1.1.*
Solicitum pectus: refert, tum dextera nutu
Inſtitit omnipotens, concedere Nazaret urbem
Agmina belligerûm, quotquot ſublimior aula
Exhibet ante thronum, ſuprema capeſſere juſſa
Pervigiles Triadis: Patris alta in mente repoſtum
Præ cunctis id opus, domitos molimen in hoſtes
Grande Dei; tumido de corde auferre ſuperbis

Spemque, auſumque Erebi: vos majeſtate verendus
Aſtantes inter, quæ ſancta in ſede miniſtrant,
Dan.7.10. Mille acies, & mille choros, delegit ab arce
Hac exercituum Deus ipſe, avertere mentem;
Si qua hoſtem tenuit (Divina Potentia fortes
Alloquitur Proceres) vos formidabile robur
Virtutis tractare meæ, decet, agmina, noſtri
Nobile tutamen decoris, Regnique lacertus,
Quo primi furiale olim certaminis auſum
Apoc.12.9. Frangere, quo Michael, vexillo, fama triumphi
Veſtra fuit, ſæclumque manens æquæva per omne.
Maxima ſit, noſtras, belli modò cura, phalanges,
Undique inacceſſo circumdare milite callem,
Quem mox in parvam mittendus Nazareth urbem,
E gremio Triadis, conceſſo lumine ſignet
Spiritus electæ Matris: Regale cubile
Pſal.45.5. Numinis hìc ſteterit; Patris mirabile Verbum
Deſeret, hùc properans, æterni luminis aulam;
Ad Galat.4.4. Clauſerit atque olim, concepta infantula Regem,
Dan.3.55. Qui Cœlum, terramque ambit, ſcrutatus abyſſos.
Noſtis, ut hac ſupera ruerit detruſus ab arce
Ob ſcelus in ſtygias hoſtis nequiſſimus umbras;
Fraude ubi liveſcens cæcis meditatur ab antris
Cautiùs arte dolos; latebris ſolertia crevit
Inſidioſa mali; poſuitque in mente tribunal
Diſperdendæ hominum ſtirpis, cum victor in Eva
Polluit humanum genus omne in crimine Patris:
Quid tum gentis, ait, polluto è ſanguine carnem
Suſcipiat ſtirps vera Dei! ſed vindicis arte
Numinis ante diem pereat jactantius hoſtis
Conſilium: tutetur Amor primordia vitæ
Spiritus omnipotens, quo pura ex Virgine Natum
Et decor, & plenum generoſo pectore Matris
Excipiant robur? tum facta immitior Anguem
Pœna tenet, maneatque, genu flexiſſe Parentis
Verbo indignatum, tumidoque in corde nefaſtas
Voluentem curas, indicere prælia Cœli.

Prin-

Principibus, ſanctoſque Duces evertere belli
Sontibus auſpiciis, munito Aquilone locatis, *Iſai. 14. 13. & 14.*
Agmine ſurrepto caſtris, ſolioque Potentem
Æquare, Aligerûm ſacrorum clade ruinas
Pro baſe; conſilium nequam; ſibi ponere ſedem:
Nec latet, ultrices tum Rex exarſit in iras;
Ejecitque aſtris tota cum plebe Draconem
Dux bello Michael (dein facta potentior hoſtis,
Rex inquit, Mulier colubrum terat ipſa; triumphus *Geneſ. 3. 15.*
Clarior en veteri; Duce me; fortiſſima Victrix.
Nocte, dieque luas ſcelus auſum, perdite, culpam *Gen. 3. 14.*
Namque ſuaſiſti; vicit prudentior Eva,
Totaque diſſimilis, benedicta, ac criminis expers,
Indocilis lapſum; ſua cui victoria regnum
Ante diem belli; quæ ſancta in ſede miniſtrans *Pſal. 103. 21.*
Noſtrûm viſa comes, Regni ac molita laborem.
Lux micet in tenebris, nuſquam comprenſa tenebris;
Exeat irradians procul atro à limine mortis *Ioan. 1. 5.*
Illius alma Parens, oriens de luminis aula,
Quæ prior illuxit, Nihili tumulata ſub umbris *Eccleſ. 24. 5.*
Sæcula dum rerum tota cum mole jacerent.
Hæc Rex; atque hærens propior Sapientia Regi,
Artificis rerum rectrix æquiſſima dextræ,
Subdidit: ergo Adam de ſanguine ſcilicet ortus
Duxerit, inſignes per me ſortita parentes,
Conceptum quæ virgo dabit de Numine Numen,
Dives ob Unigenam clareſcat dotibus, aſtra
Ceu Sol ac præſtet candoris luce miniſtros
Flammantes Triadis; fervens ubi pectore flamma
Surgit in æternas Seraphim de corde favillas;
Æternaque undâ ſaliens è pectore Patris,
Plenus ibi Vitæ fons omnem temperat eſtum: *Apoc. 21. 6.*
Mentibus hìc ſummis puriſſimus ardor amoris,
Quo Verum in ſimplex incendia ſancta perennant.
Sed paritura Deum, Divinæ oracula vocis *Lucæ 1. 49.*
Ipſa dabit, Regale gerent dum viſcera pignus,
Afflatu fœcunda Dei; quo lumine plena

 Om-

Omnia Virgo parens reddat præconia Patris.
Sic illa) at jam firma, Duces, ſint agmina cæptis;
Æthereaſque micare vias, radiantiaque arma
Undique ſidereos ſuperaddere luce nitores,
Belligeras teſtata acies, comiteſque potentes
Cœlicolûm Regis, veſtrûm ſit cura; triumphi
Exeat hac pompa (magni inſtant juſſa Parentis)
Spiritus electæ Matris: vapor: Anguis ab antro
Contemerans animas, Adam de ſtirpe nepotum,
Quid ſubeat callem, pro Mundi crimine ſacrum
Apoc. 12. 11. & 13. 8. Sanguine cæſi Agni, qui mox à limine rerum
Hoſtia pura cadit: præeat ſpirabilis aura
Numinis afflatos ſummo uſque à vertice fines,
Æthereumque agmen vi luminis egerit hoſtem,
Pectore voluentem clades, ubi gloria fluxit
Magna, præeſſe inter Proceres, rutilaſque cohortes
Aulæ hujus pacis; noſtræ ſint agmina dextræ
Robur, & omne decus: ſtygiamque avertere turbam,
Sidereaſque aptare vias, fas omne repoſcit.
Dixerat, & dicto citiùs de limine Cœli
Ad terras properæ glomerantur utrinque phalanges.
Gen. 3. 6. Infandis poſtquam Colubri ceſſere Parentes
1. Ad Cor. 15. 22. Artibus, atque uno primævæ vulnere culpæ
Procubuere hominum geniti, dum matris ab alvo
Prodit homo, veteris fert ſtigma piabile ſordis,
Ulceraque horribili ſanie conſperſa nigreſcunt,
Apoc. 1. 5. Donec Divini tergantur ſanguinis undâ.
Vix ſatis; informi tunicis abeunte figura;
Organa, ſepoſitis fibris, contexuit humor
Opportuna Animæ (momentum ſæcula vitæ
Noſce, homo, quo pendent: tuus ortus temporis inſtans;
Inſtans vita unum, tuaque uno vita recedit;
Hæc age) mox, facta ſalientis origine puncti,
Cor ſubit alternum munus remeabilis auræ,
Conceptuſque patet, facto modulamine, fœtus,
Numinis æterni dum vires exerit, Orbis
Prima eadem Virtus, hominum, Superûmque creatrix;
Ex-

Digitized by Google

Extructuſque ſacro Divini flaminis ore ,
Spiritus humanos infunditur omnis in artus . *Gen. 2. 7.*
Mox infenſi hominum bellatrix ſæva tyranni
(Clades unde ferox inflicta nepotibus Adam)
Mors librat ſtygio perimentia tela veneno ;
Protinus infligens tetrum manantia virus ,
Vulnera ; perflandi quoque pectoris inficit auras ,
Quas capiat vitæ , quas primò ſpiritus haurit
Intus ; & inviſas Orci perferre catenas
Indocilis culpam , vi culpæ heu cogitur infans :
Eſt lacus , horriſono clauſus Phlegetontis ab antro ;
Cuncta ferunt virus ; vapor undique , & undique fœtor
Sulphuris immenſi , facta fuligine flammæ , *Apoc. 20. 9.*
Igne atro genitæ , ſurgunt ubi viſcera Terræ
Sat cava , mulctandiſque domus tenebroſa ſceleſtis ;
Nulla ubi ſpes veniæ ; ſedes æterna dolorum : *Matth. 25. 47.*
Hic (vix fontis Adæ mens , culpæ haud inſcia , ceſſit
Inſidioſo Angui) mox heu devincta catenis
Gens hominum cecidit , nequam famulata tyranno :
Sub juga miſſus homo ; ſubeunda nepotibus Adam
Mors gemina eſt cunctis ; hic demerſere pharetras , *Apoc. 20. 15.*
Cæde cruentandas , arcus intendere docti
Tartarei comites : jacturaque grandis in ævum
Manſerit æternum ; ni tu , fortiſſime , bellum ,
Rex , ineas , Patrique litans de Morte triumphes :
Victima morte cadens , infernos ſtraveris hoſtes :
Totaque jampridem , ſtrueres cum lumina Mundo ,
Dilectæ æternùm tua ſtat victoria Matri . *Apoc. 12. 10.*
Agminis ergo pius ſuccendit pectora fervor ,
Quemque opus omne ſuum Reginæ impendere divæ ,
Numinis & ſacrum Matri de luminis aula
Deferre obſequium , dum degerit incola terris .
Hic tua , Nate Deus , Patris una , eademque poteſtas ,
Materno belli pompâ zeletur honori :
Illi aderunt , ſuperas olim quæ ſcanderit arces ,
Regna parata tuis , Regiſque , Duciſque , triumphis ,
Puræ Acies circum comites , templumque ſupremæ

Auguſtum hoc Triadis replebunt carmina laudum.
Spiritus interea ſacer ille hìc omnia ſponſæ
Congerat, has humiles venienti lucis in auras,
Pulchrior ut primi ſignet veſtigia greſſus,
Venturi Superûm candore probantia ſanctum
Regis opus, nec viſa ullis ſpectacula ſæclis;
Quæ deceant Victricem Erebi, Chriſtique Parentem:
Totaque virgineum decorabit gratia pectus;
Ioan. 4. 14. Nectareuſque latex, Vitæ qui ſurgit in ædes,
Patris luce ſacras, primo repleverit hauſtu
Luc. 1. 41. Electæ Matris cor ipſo in limine Vitæ;
Uberaque irriguus fons Numine plena ſubibit,
Virgineo pro lacte fluens: En ſuxeris, Infans
Omnipotens, Cœli latices è pectore Matris;
Et purâ genitum prodire ex Virgine Verbum,
Alterius dicetur honos non labilis Evæ.
Jamque immortales Cœli teſtata cohortes,
Signa per æthereos volitant minitantia tractus;
Aurataque tubæ, diſperſa & luce micantes,
Undique belligeris clangoribus aera complent.
Emicat è ſummo Cœlorum vertice trames
Sidereus fulgore novo: lux aurea, ſanctæ
Apoc. 21. 5. Atria colluſtrans urbis, ſervanſque perennem
Juſtitiæ ſub Sole diem, de limine Cœli
Urget Idumæas radiorum fulmine Terras;
Purior & ſacrâ, Libani quâ viſcera defert
Incorrupta Cedro, Jordanis claruit undâ,
Excepitque jubar ſuperum (ceu luminis auctor
Atra nocte redux, nimborum mole ſoluto
Littore, dein ſurgens adverſas occupat oras,
Heſperias figens Eoo lumine rupes,
Ingeminatque auro lucem labentis Iberi)
Undique Divinos profert ea pompa triumphos,
Divorumque Patris facinus ſublime ſuadet.
Dux præerat Gabriel, Regis fidiſſimus Ales,
Robur grande Dei, decus ac mirabile Regni:
Arma coruſca gerit, puro radiata metallo;

Diſ-

Diſcolor at veſtis; trabeâ ſuccinctus, & aulæ
Fert ſuperæ vexilla (micans hic Virgo coronâ
Sidereâ, geminoque Aſtro caput atterit Anguis)
Aligeras præit ille acies; diſcrimine primo
Strenuus, inſequitur Michael, cui gloria belli:
Bellicus æthereo fulgeſcit milite campus,
Electique Duces præeunt ardentibus armis:
Undique lucis opus compactus protulit æther;
Atriaque æterni, ſumma arce patentia, regni
Ingeminant cœleſte jubar. Capitolia Martis,
Egregiis conceſſa viris, celebraſſe triumphos
Orbis in Urbe, ferunt rerum monumenta: quid auſum,
Sancta ubi majeſtas Triadis, memorare profanum
Nitimur; humani non eſt proferre laboris
Regum Regis opes: dant immortalia pacis
Agmina terribiles Cœlo, Terriſque triumphos,
Sæclorum propiore Deo: quis corde volutet,
Inſtructas ſpectare Acies, ut terreat hoſtes
Edomitos, tollatque Dei victoria pompas?
Terribile eſt Erebo, Superis mirabile viſu,
Omniaque æternum referunt ingentia Numen,
Numinis ac facinus mirandum plurima Cœli
Ad Terras protenſa cohors, ſuper aſtra recedens.
Agminis intus Amor tenuit, Divina repoſcens;
Illius una parens, atque altrix Gratia, ſummi
Gnata decora Patris, totum quæ recreat Orbem,
Illi eſt facta comes: nil Cœlo apparuit unquam
Pulchrius, aut terris: blandis fovet arctiùs ulnis,
Unigenam ceu Mater habens; nivea ubera paſcunt
Magnanimum pignus: ducit primordia Cœlo
Spiritus hìc puræ Matris. Modò, Filia Jeſſe,
Exultes, paritura Deum tu claudis in alvo
Viſcera, & humanam conceſſo ex pignore formam
Induet ipſe Dei Natus, quem longiùs ante
Sæcula progenitum ſanctæ in ſplendoribus aulæ
Vita, decor, virtus inter ſumma atria lucis
Excepere, aluitque almâ par Spiritus aurâ,

S. Anſelm. de excell. Virgin. Mariæ c. 3.

Ad Galat. 4. 4.
Pſal. 109. 3.

Ma-

Pſal.109.1. Majeſtate parem Patri, Patrique coævum.
Neſcius ipſe ſuæ, tot paſſus & aſpera, fortis
Annæ vir Joachim, quem delectiſſima virtus
Fecerat, ex Atavis deducto robore, fortem,
Auſpiciis implere ſuum tam grandibus ævum,
Hæreret fortaſsè, Patris licet aulicus Ales
Arcanum decoris juſſus deferret ab aſtris;
Vix inſperatæ ſpe cor ſubſcribere proli
Par foret: eſt recti jacturæ aſſurgere cordis:
Solicitumque boni, cautumque horrere fugaces
Illecebras vitæ, Cœlique expoſcere amorem,
Subjectumque Deo firmant vexantia pectus.
Compulit heu quoties, curarum mole ſolutum,
Hoſpitioque hilares cupidum diſquirere terras,
Blandior aura trahens ad barbara littora nautam,
Pellexitque animum ſpecioſa licentia gentis:
Ægra ſecus, duro fervens ſub pondere, curas
Mens agitat, madidoque viret ſub pectore virtus:
Quæ fatis alliciunt, ſubigunt præſentia mentem.
Luc.1.52. Aſt humiles transferre nimis, nimiùm atque ſuperbos,
Ingenium Cœli eſt; æterna potentia Regis
Hoc molitur opus; rerum hinc æquiſſimus ordo:
Qui graviora pati, longos qui ferre labores,
Numen & iratum toto conſenſerat ævo,
Quid tam grande ſibi meditabitur? una voluntas
Id poterat ſuprema Patris: quid ſæcula magnum
Ulla æquè norunt humanam evoluere mentem!
Matth.17.5. Dilectum Deus ipſe ſuum conceſſerit illi;
Noſceret ò utinam; genita de prole nepotem:
Iſa.7.14. Filia virgo dabit miranda puerpera Sanctum,
Aggai 2.8. Quem vidiſſe Patres, factiſque amplexibus omnes
Joan.8.56. Exarsère humili cunabula tangere labro:
Tanta, jubente Deo, compenſant gaudia luctum.
Jamque parem poſuiſſe domum ſibi Numen, ab aſtris
Venturo, decuit, miſſo alta è luminis aula
(Patris ubi è vultu Divorum millia ſplendent)
Atque uni electum formæ ſervaſſe nitorem:

Digitized by Google

Hoc erat, hæſuram cunctis, avertere labem.
En Genitoris honos; Divino aptaſſe decori
Divini Unigenæ Matrem, quem, virginis alvo
Conceptum virtute Dei, Perſona recepit Coloſ.2 9.
Ipſa Dei, ſumma geniti de mente Parentis.
Fas ergo, æquævi largiri fœdus amoris
Dilectæ Pacis gnatæ, quæ crimine Patrum
Sola exempta foret, ne labis obeſſet origo.
Defuit omni hominum conceptus ſanctior ævo,
Excipiente ſuam Verbi virtute Parentem;
Unam virgineo laturam viſcere pignus,
Mox ubi cuncta potens afflaret numine Numen.
Hinc reſonet Chriſti plenam æquo carmine laudem,
Quidquid grande ſuæ Genitrici impendere fas eſt:
Corporis immunes ſenſus à fomite mortis, 1. Ad Cor. 15. 56.
Namque anima è cœno fontum præreptа parentum,
Atria corporeæ molis dum pura ſubiret:
Magna hæc Divinæ præconia debita Matri.
At dum frugiferas Autumno ſeptimus anni
Effert menſis opes; nec dum lenimen ab æſtu
Nocturnas, æquante Orbem, dat lance per umbras
Mitior aura diem tepido ſub ſidere Libræ;
Prodit ab emeritæ, ſterili olim, ventre Parentis
Filia digna Deo; mille inter germina Divûm
Surgit Jeſſeæ virguncula gloria gentis,
Ac Matrum ſublimis honos: en pacis alumna, Cant. 8. 10.
Enixura Deum (qui Patris origine Matrem
Anteit ipſe ſuam, clauſamque in ventre, tenebris
Præripuit Lux ipſe) ſacro de Sanguine Regum
Duxerit, ante ortum Victrix, cunabula; Patres
Excellens palmis, belloque, & pace potentes.
Anna ſed in templo ſolymorum gloria Vatum,
Jamdudum ſpoliata viro, florente juventâ,
Duxerat omne Deo, ſenio venerabilis, ævum;
Quæque olim acceptum blandas Simeonis in ulnas,
Cerneret infantem Vates ſanctiſſima Jeſum; Luc. 2. 36. 37.
Trimula ubi ſacras, Cœlo ſervanda, Maria

Con-

Conſtitit ante fores, oblata Parentibus, almo
Flamine fortè ſenex afflata; hinc grandia voluens;
En, ait, electi domus haud violanda pudoris;
Inter Davidicas Salve, ò pulcerrima, natas:
Alma omnes inter prodis, ſortita Parentes
Inſignes pietate, Atavos cognomine Divos;
Te deduxit Avis omni ævo fortibus, ortus
In Patribus tutata tuos, infantula Regis,
Omnipotens virtus, pleni ſtudioſa decoris:
Hùc electa veni, manet hinc te plurima merces;
Hìc virtutis opes præcox exprompſerit ætas,
Hìc formæ complebit opus tutamine Cœlum:
Spiritus exultet tuus, ò Virguncula felix,
Ingrederis dum, ſacra Deo, pia limina, pectus,
Prov. 8. 22. & Nata, tuum Deus, ipſe Deus tutatus ab ipſo
30. Principio, ſociamque ſibi, comitemque laborum
Te lègit, ſanctâque dedit dominarier arce:
Limina tartareus tua ſemper inhorruit hoſtis,
Pſal 62. 9. Formidans Regis, quibus hæſeris unica, greſſus:
Pſal. 44. 10. Adextris ſpecioſa manes; amor aurea Regni
Indumenta dedit, puro contexta metallo:
Nil hoſtis potuere doli, tua Spiritus Almus
Luc. 1. 35. Pectora principiò ſubiit, primordia vitæ
Pſal. 62. 10. Ipſe fovens; aſtuſque Erebi dilapſus inanis.
His meliora ſuæ reddet præconia vocis
Enixura parens, ſanctâ Virtutis ab arce
Matth. 11. 10. Qui præeat venturum humilem ſine milite Regem
Luca 1. 76. Solvere captivos (illum, mea ſumma ſenectus,
Cernere num poteris) miranda oracula Cœli
Luca 1. 42. Afferet: una Patris benedicta effuderis Orbi,
Inquiet, æterno benedictum fœdere pignus;
Teque ſibi electam naſcenti iu tempore Matrem,
Pſal. 84. 1. Illimem terram, benedixerit unicus ante
Pſal. 109. 3. Sæcula progenitus ſummi de mente Parentis:
Te poſt venturum Cœlo Sapientia Regem,
Aureo dilectam Regis decoravit amictu;
Tuque, mei genitrix Domini, penetraveris ædes,

Ipſa

Digitized by Google

Ipſa meas; infanſque ſuam de ventre ſalutem
Dixerit, Infantis teſtatus munera Regis,
Exultanſque humilis dederit præconia vocis! *Luc.1.44.*
Dein pectus tu plena Deo, Virguncula, promes
Abdita, namque tuo fatur de pectore Verbum;
Magnaque vaticinans, Superûm myſteria Patris
Ipſa refer; plenas tum dicere carmine laudes,
Prima animo ſit cura; Deumque fatere ſalutis,
Quâ tuus exultans jam pridem ei ſpiritus hæſit, *Luc.1.4.*
Auctorem te noſſe tuæ, cum grandia fecit
Dexterâ, cuncta potens; carioſo è ſtipite Patrum
Electæ puros ancillæ eduxerit ortus;
Hinc unam nullæ ſileant dixiſſe beatam
Progenies hominum, cui mira, arcanaque fecit
Solus magna potens; tumida de mente ſuperbos
Depulit, inſanas auſos meditarier artes; *Luca 1.51.*
Suſcepitque humiles, ſolvenſque è compede vinctos,
Geſtiit in ſuperas transferre è carcere ſedes.
Faberis hæc, & nacta tuos, Sapientia greſſus,
Quàm propior Regi, facta ante exordia rerum
Aſtiteris, poſt ipſa hærens veſtigia Vitæ,
Differet, edoctique dabunt oracula Patres,
Cum dederis, pura genitam te virgine, Lucem,
Quâ Lethi ereptus tenebris, illuxerit Orbis:
En decus omne tuum reſonabunt ſæcula, mentes
Chriſtiadum, ſacroſque Sophos, tua grandia fari,
Illuſtrante, Patris qui lux altiſſima, Chriſto;
Virgineæque ferent ſobolis præconia, Regum
Quæ deceant Regem, caſta de virgine natum:
Diriget ipſa vias Geniti Sapientia Rectrix, *Luc.2.52.*
Atque tuas æquæva comes, quâ plena decoris,
Ante Orbem dilecta Patris, Triadi aurea ſacrum
Extrueris templum; nec labi obnoxia Cedrus,
Vivificum Mundo redoles ſuaviſſima germen.
Hactenus alma ſenex, cui magna encomia Natæ,
Et formam, & dotes, vitata & labe triumphum
Farier ipſa dedit, ditans Sapientia mentes,

1. adCor.1.27. Quâ ſancti Mundo prompſere oracula Vates.
At humiles poſcens in grandia, Numen ab ortu
Pectore Virgó gerens, pudibundo interrita vultu
Sacrorum Regem, Templi venerata miniſtrum,
Fatidicamque ſenem, dum corde intenta volutat
Ancillam ſe offerre Deo, vix talia ſervat:
Una jubar Superûm tenet ipſo à limine vitæ,
Ad Philipp. 2. 7. Noſſe edocta Patris Genitum, qui deſeret aſtra,
Hoc humili formam ſervi aſſumpturus in Orbe;
Ipſaque, Divinæ conſors infantula mentis,
Deſpicit (hìc hominum genitis, heu, labile fulgur)
Gloriolam, & ſummum, ſi fas, ſibi poſcere nomen:
Geneſ.3. 5. Neſcia labis Adæ, patris auſum horreſcit inane,
Conſiliumque Anguis, quo mens humana laborans
Dediſcit noviſſe ſuum, de ſemine ſervi,
Et genus, & primam Lethi de carcere ſortem,
Ablataſque ſibi, manſura clade cruentas,
Unigenâ Patri mactato Rege catenas.
Ergo ſacras penetrare fores fit ſedula, greſſu
Jamque inſtat facili, propiórque excepta fit aræ;
Ut maneat, quò vota trahunt, ac pareat alto
Pſal. 44. 12. Conſilio Cœli; mox indè oblita parentes.
Virgo decora Deo, Genitum de luminis aula
Excipiens, Erebo venturum evertere ſedes,
Ad Coloſ.1. 14. Solvere devinctas Mortis de limine gentes,
Dilectumque genus, tot jam labentibus aſtris
Deſertam, revocare domus Regalis in arcem;
Quis dixiſſe decus, meritæque inſignia laudis
Par erit; una Deo digna es, in ſæcula Victrix;
Unigenæ fert ipſa tuas victoria palmas,
Ac virtus excelſa Ducis, cui tollere matrem
Unus amor, quantùm Matris mirabile nomen
Apoc. 5. 13. Poſtulat æterni, cui ſumma potentia, Regis,
Matth. 28. 18. Et Geniti fas omne Dei: ſi pulvis arenæ,
Si maris undarum guttæ, ſi lilia, gemmæ,
S.Hieronym. de Aſſumpt.Virginis. Cœlicolûm ſi puræ Acies, hominumque per omne
Gens effuſa ævum, flammæ, nix, grando, volucrûm
Agmi-

Agmina, ſi lapides, frondentia germina ſylvis;
Linguæ cuncta forent, quantùm ſuper aſtra recedens
Eveheris, Regina ſedens, ubi dextera Regis; *Pſal. 44. 11.*
Hiſce tuos, ò pura Deo, quis promat honores?
Ipſa atros penètret, remeans lux aurea Solis
Impolluta, lacus, lineas & viſcera matris,
Progenitæ de ſtirpe Adam, ſerveſque nitorem,
Unica Virgo parens: quâ condidit omnia, Numen
Mirandâ, celerique manu; quâ clauditur Orbis, *Pſal. 138. 14. & 148. 5. Eccl. 11. 4.*
Ardua moliri decuit, non agnita Mundo,
Ut Matrem coleret, nimio flagrantis amore
Regis, & Unigenæ: ſpecies venerabilis unam,
Dum Verbo dignam, virtus cui ſumma, Parentem
Dixit, vix genitam te gratia tota decorat.
En unam decor omnis habet, quæ lumine pleno
Pulchra trahit Mundum, ſuperi pia mater amoris;
At formæ quis novit opus, ni mole latentes
Detegat intus opes propior Sapientia rebus
Arcanis, ſacroſque Sophos, abſcondita fari,
Miratos adigant audita oracula Vatum: *Eccl. 39. 1.*
Sic, inſpecta diù, ſinuoſæ viſcera terræ
Detexere homini pretioſum fulva metallum.
Qui tenet ante dies æterno in lumine ſedem,
Progenuitque Orbi lucem, cum cœca tenebris *Gen. 1. 3.*
Omnia, vix Nihili de ventre educta, jacerent,
Inter inacceſſos molitur cuncta receſſus:
Hìc immortalem noverunt ſæcula Regem,
Auctorem venerata ſuum, famulataque primùm, *Ad Tim. 1. 17.*
Lucis in accubitu ſtanti dixere ſalutem:
Hìc decus, & vitam cunctis, quæ dextera Mundo
Edidit omnipotens, auxit Sapientia, Patris
Ingenitâ ſumens de mente exordia rerum;
Miraque ſcrutari, nec quæ mortalibus ullus *Eccl. 3. 11.*
Nixibus attingat, ludens toto Orbe reliquit,
Viſa licet, nullumque hominis fugientia ſenſum:
Quid ni plura ſibi, tenebris, & luce creatrix
Involvens, vetat hinc cœcas diſquirere gentes,

 Dex-

Dextra potens! Numen tum majeſtate verendum
Eccl. 18. 3. Abdita ſumma probant, ac nox offunditur Orbi.
Artificis ſed Regis opus, vigileſque labores
Quid memoraſſe? illi quiſnam mirabile robur
Addidit, ut facili gereret tam multa lacerto!
Fortè fatigato grandi ſub pondere rerum
Auctori tantorum operum, de ſtipite Vitæ,
Inſita cui primo ſtirps Jeſſe aſſurgit ab ævo,
Jam defecturas revocarunt balſama vires?
Hìc prope manſurum, ſurgens, quaſi libana Cedrus,
(Cætera dum terræ virgulta infecerat Anguis,
Gutture virus habens, toto hauſto gurgite Lethi)
Munificâ Pater ipſe manu trucis hoſtis ab ira
Providus exemit germen Regale decoris.
De Cœlo en uni facta omnis gloria genti;
Iſai. 11. 1. Surgit Idumææ nova lux contermina terræ:
Expectata diù regali e ſanguine Judæ
Radix ſancta dabit cœleſti germine fructum;
Ros fovet ipſe, Patris Divino è pectore manans;
Spiritus atque auram vitæ puriſſimus auget:
En ager: è Cœlo meſſis ditiſſima ſurget
Flore novo, æternùmque ſacrâ de Virgine proles.
Dividat à ſtygiis, lucem allatura, tenebris
Conſurgens Aurora diem, quo luxerit Orbi
Sol prior Orbe nitens, qui gyro ſæcula præſtat:
Iſai. 30. 26. Sic Lunæ, ſic Solis erunt ſine labe nitores;
Fudit inocciduum jubar alter, luminis Auctor,
Pſal. 88. 38. Alteraque æternùm nituit, reſpecta: perennis
Fulgor uterque manet; neque ei Sol occidet ultra;
Totaque pulchra comes ſignat veſtigia lucis;
Ambo etenim claro viſa Aſtra incedere greſſu.
Qui prior obtutu labentia, priſca, futura
Sæcula rimatus, rerum ſimulacra, viceſque
Intuitu, defixâ acie, diſcriminat uno,
Geſtiit electæ largiri ea munera Matri,
Quæ deceant genitum manſura virgine Regem,
Cui genita de luce ſacram Pater eligit aulam.

Qui firmans, belli poſt facta pericula, ſanctos
Dux Deus ipſe ſuos (ultrici percitus irâ
Quos prius haud ſuperâ dejecerat arce rebelles, *Apoc. 12. 11.*
Fortè acti ſceleris ſolvendo compede vinctos,
Sed ſtabili virtute probans, & nomine dignos)
Sanctificans, ſine ſorde domum ſibi protulit auream; *S. Petrus Chriſolog. in Pſal.*
Ut puro labis fundata niteſceret auro, *45. 5.*
Struxerat ut maculæ puram manus ipſa creatrix.
Regis diva Parens ſanctorum ſorte, catenis,
Haud meritis, exempta manet (mittendus ab alto *Eſth. 15. 13.*
Reſpexit Genitus Matrem) Regina ſacrorum
Spirituum, quos ipſa potens in amore crearat
Dextera, ſanctificans ea poſt diſcrimina belli. *Apoc. 12. 8.*
Quo lacus ima tenet, nec læſus ab ungue Leonum *Dan. 6. 23.*
Fatidicus juvenis, mox formidata Colubri
Haud ſecus ira cadit, vi Numinis irrita: ſordis
Cœnoſo accedens de tramite labilis Adam,
Aurea deducit firmo veſtigia greſſu
Unigenæ virtute Parens tutiſſima Regis.
Quo Duce, mox ſtantes, ſicco pede tranſiit undas *Exod. 14. 29.*
Gens rubro deducta Mari; ardua limina vitæ,
Splendor ubi, candorque fores, atque atria veſtit,
Chriſtiparæ Matri pateant è ventre parentis.
Ipſe eſt, è tenebris rerum myſteria promens; *Dan. 2. 22.*
Fas ubi, ſi qua loqui deceat, Divina revelat,
Et bivio è cœco deducit lumine mentes.
Diva, Patres hærere diu, Sapientia Cœlo *S. Greg. in 12.*
Annuit; hinc hominum natos oracula Vatum *Daniel.*
Clariùs erudiunt, auditque altiſſima Mundus.
Jamque effare pium, Virgo lectiſſima, carmen, *Pſal. 65. 16.*
Quanta tibi Omnipotens fecit; de limine vitæ *Luc. 1. 49.*
Quanta dedit Matri: te primo excepit ab ortu
Lucis in accubitu Genitus Rex, Duxque Redemptor.
Vix mentis labor ullus erit par tangere ſedes,
Sanctæ ubi Divorumque Acies, Alitûmque potentum
Obſequio æternùm vigiles efferre Parentem
Te puram exultant: tibi carmina mille, tubæque

Digitized by Google

Victrici modulata, Polos concentibus implent:
Haud fas humanæ, quos mens ſcrutata ſuperbit,
Sit linguæ, Regina, tuos celebrare triumphos.
Quæ nive candidior, Stygis atros obruis ignes,
Protinus immutes aciem, quam labilis ævi
Præripuit ſpecies; mox immortalia ſpectet;
Ardeat atque almi pectus candoris amore.
Aſt penetrare vias, Aquilæ felicibus auſis,
Sol ubi juſtitiæ te primo obduxit ab ortu,
Cum dederis, ſola æthereas quæ ducis in arces;
Aſtra audax ſubeam, teque, incorrupta Virago,
Pulchra Deo, genitumque tuo dans viſcere Regem,
Quo Victrix Colubrum de vitæ limine calcas;
Sideribus, Soliſque comâ venerabor amictam.

F I N I S.

Digitized by Google